

EPISTULA LEONINA

CCLXXXVI

HEBDOMADE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-
CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM OCTOGESIMAM SEXTAM (286)

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA.....	03-05
VIDIMUS ENIM STELLAM IN ORIENTE.....	06
DE TRIBUS MAGIS QUI STELLAM IN ORIENTE VIDERUNT.....	07-22
CARMEN MAURI PISINI POETAE LAUREATI: GRANDO.....	23
TRIAS VENATICA (<i>Naevius Sartorius, LL</i>)	24-43
QUANTUM VALEAT VENATIO IN MYTHIS GRAECORUM.....	25-31
IVANUS TURGENJEW DE VENATIONE QUID SCRIPSERIT.....	32-38
DE AETATIS MODERNAE INCOMMODITATE.....	39-43
DE VENATIONE LAGOPODIS SCOTICAE (<i>Wittmann/Bedder, LL</i>)	44-47
NEQUE ACTAEONI NEQUE DISCIPULIS LICET ASPECTARE DIANAM NUDAM ! PARENTES MUSLIMI MINANTUR MAGISTRAE.....	48-54
VERBIFICINA LEONINA: Vehicula hiemalia et alia....	55-59
QUATTUOR FABELLAE GRIMMIANAЕ	60-69
SOLE CLARO REM PATEFACTUM IRI.....	61-62
<i>Die klare Sonne bringt's an den Tag</i>	
DE LUCE CAERULEA.....	63-66
<i>Das blaue Licht</i>	
DE INFANTE CONTUMACI.....	66
<i>Das eigensinnige Kind</i>	
DE TRIBUS MEDICASTRIS CAMPESTRIBUS.....	67-69
<i>Die drei Feldscherer</i>	
CHRONOGRAMMATA (<i>Rößler</i>)	70-71
ECHUS VOCES & EPISTULAE.....	72-101
<i>Christianus Laes Praeses ALF (72-74) – David Shloime (74) - Maximilianus Pulcher Mystagogus (75) - Joannes Carolus Mediolanensis (75-76) – Horatius Silvester (76-77) - Alexius Vestigiarius (77-78) – Radulfus Bonaëropolitanus (78-79) – Carolus Lyvens Lituanus (79-81) – Ansgarius Osloensis (81-88) - Naevius Sartorius (88-102)</i>	
EPISTULA CHRISTIANI LAES.....	103-104
CERTAMEN QUIRINALE.....	105
MARCUS CRISTINI LECTORIBUS EPISTULAE LEONINAE S De conspectu poetarum Latinorum nostri saeculi componendo.....	106-107
LIBRI LEONIS LATINI.....	108-111

PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PL.DIC.

*Cara Lectrix, Care Lector,
quomodo te habes? Utinam primae anni MMXXIV septimanae
tibi feliciter evaserint! Bono animo esto. Tu ne cede malis sed
contra audientior ito!*

Denuo Leo tibi praebet Cornu Copiae et Saturam Lancem:
Lectionem utinam ne asperneris: magna est varietas, quia
delectat, habemus etiam aliquid aptum ad gustum tuum
delicatissimum.

Primo autem Leo gaudenter annuntiat, quod a *Christiano Laes*
Praeside Academiae Latinitati Fovendae certior factus est
huius anni vernali tempore factum iri TRES ACROASES
LATINAS INTERRETTIALES (per sistema *ZOOM* divulgandas):

d.2.m.Mart. Nicolaus Groß:

»*Novis rebus nova nomina esse imponenda*« - *De verbis Latinis novandis.*

d.27. m. Apr. Theodericus Sacré:

De primis

d.25. m. Maii Robertus Spataro:

Narratio vitae Ioannis Bosco a Ioanni Baptista conscripta.

Omnes acroases fient diebus Saturni, horâ quintâ postmeridianâ.

Iam nunc Leo Tibi plurimum commendat, ut his acroasibus
fruaris audiens et spectans et omni acroasi auditâ, si quid
habueris querendum aut adnotandum, ut *sermone Latino*
loquens aures audientium mirabiliter delectes.

Deinde fruere *CARMINE*, quod *DE GRANDINE* ingeniosê
pepigit *MAURUS PISINI*.

Die 6. m. Ian. celebravimus Festum **Trium illorum Magorum** sive astrologorum, qui stellâ ducti sunt in vicum Bethlehem **IESUM INFANTULUM** adoraturi et postea sub nomine **Trium Regum Sanctorum** in magnam claritudinem pervenerunt. Eorum historiolam invenies magnâ symbolâ descriptam: **DE TRIBUS MAGIS.** - Mediâ in Epistulâ nostrâ Leoninâ novissimâ invenies cimelium maximè mirabile, quale invenies in nullo alio periodico Latino: Loquor de serie symbolarum **NAEVII SARTORII**, qui est lector horum commentariorum fidelissimus necnon venator peritissimus: **TRIAS VENATICA:** Venationes mythicae - Venatio Turgenieviana - Philosophia venatica! - Leo adiecit quartam symbolam venaticam, quâ agitur de **venatione lagopodis scoticae litigiosâ.** Nec potuit, quin insuper adderet relationem, quae spectat ad mythum Actaeonis et Dianaë a Naevio in Triade suâ tractatum: **Nuditas enim Dianaë non sôlum Actaeoni** venatori curioso fuit perniciei, sed eâdem nuditate divinâ nuper in magnum periculum adducta est quaedam **magistra Francogalla!**

Ne umquam praetermittas, o Musae Leoninae amatrix amatorne, **CHRONOGRAMMATA** Tobiae Rössler artificiosissima! Nam **VARIETAS DELECTAT.**

Ceterum intimo ex animo tibi suadeo, ut perlegas etiam **EPISTULAS ET ECHÙS VOCES** mihi a lectoribus benignè oblatas, qui cogitationes commotionesque suas animorum exprimant Latinitate incundissimâ...

Iaque hoc opusculum, cara Lectrix, care Lector, plurimum tibi commendo!

Denuo Leo te monet **CERTAMINIS QUIRINALIS.** Utinam quam plurimi iuvenes ingeniosissimi et Latinissimi nomen dent participando! - **MARCUS CRISTINI** nos rogat, ut sibi mittamus


carmina neolatina: "Statui enim carmina Latina recentissima (ab anno 2000 usque ad diem hodiernum edita) colligere et conspectum poetarum Latinorum saeculi vicesimi primi componere, ut conspectum illum de poetis Latinis saeculi vicesimi a Iosepho IJsewijn olim conscriptum et dein a Theoderico Sacré auctum - quantum possum - ad diem hodiernum perducerem."

Nunc laetare perlustrans symbolas huius Epistulae Leoninae. Si eos textūs quos Leo aut edidit aut ipse scripsit aut togā ornavit haud aspernatus eris - »*sublimi feriam sidera vertice*«. - Si agitur de quaestionibus litigiosis - semper studeas non sōlum thesi, sed etiam *antithesi* inveniendae; denique, mi care, fortasse feliciter continget, ut nos, tu et ego, unā inveniamus *synthesin!* Sed quaecumque senseris, ne umquam obliviscaris proverbium Romanum: **AUDIATUR ET ALTERA PARS!** Cara Lectrix, care Lector, ---

Medullitus te salutat...

Dr. Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.de/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae
Die Dominicā, 21. m.lan. a.MMXXIV**



**ΕΙΔΟΜΕΝ ΓΑΡ ΑΥΤΟΥ ΤΟΝ ΑΣΤΕΡΑ ΕΝ ΤΗ
ΑΝΑΤΟΛΗ ΚΑΙ ΗΛΘΟΜΕΝ ΠΡΟΣΚΥΝΗΣΑΙ ΑΥΤΩ
VIDIMUS ENIM STELLAM EIUS IN ORIENTE
ET VENIMUS ADORARE EUM**

VULGATA Secundum Matthaeum 2,1-2

Cum ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis, ecce *Magi* ab oriente venerunt Ierosolymam dicentes: „Ubi est qui natus est rex Iudeorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, et venimus adorare eum.“

DE TRIBUS MAGIS

QUI STELLAM IN ORIENTE VIDERUNT

https://de.wikipedia.org/wiki/Heilige_Drei_K%C3%B6nige



Ecce **TRES REGES SANCTI**, figurae querneae, circa a.1490 confectae,
inveniuntur in Museo Germanico Nationali Norimbergensi¹

Illi **MAGI** (*Máyoi*) qui in *Evangelio Matthei* (cap.2) narrantur Stellâ Bethlemiticâ ducti esse ad Iesum infantem, ex tertio saeculo exeunte p.Chr.n. demum ab auctoribus Christianis appellari solent **Tres Reges Sancti** sive **Tres Sapientes Orientales**. In Testamento Novo Bibliae iidem viri neque dicuntur *Sancti* esse neque *Reges* neque indicatur eorum *numerus*. Numerus ternarius et attributa regia inveniuntur in numerosis fabulis legendis, quae tertio demum saeculo p.Chr.n. exeunte narrari inceptae sunt. Nomina regum putativorum propria, quae sunt **Caspar** et **Melchior** et **Balthasar**, in Ecclesiâ Occidentali latê patentia primum omnium commemorantur

¹ [Germanisches Nationalmuseum: Online Objektkatalog Hl. Drei Könige](#)



Adoratio Sapientium, lamella aenea, 4.saec. (Museum Vaticanum, Romae)²

saeculo sexto. E contrario quidam *fons syriacus* saeculi septimi *Edessae* in *Mesopotamiâ superiore* exortus et alii loquuntur de duodecim regibus persicis³.



**Adoratio Trium Regum, capitellum, exhibetur in oeco capitulari
Sanctae Domûs Cathedralis Sancti Lazari Autunensis**

Christiani catholici *Tres Rêges* venerantur Santos, quamquam verisimile est eosdem non fuisse personas veras. Neque umquam iidem secundum normam sunt canonizati. Sed quaedam reliquiae sacrae Tribus Regibus adscriptae ex saeculo duodecimo causae fuerunt, ut exoreretur motus peregrinatorum piorum, qui id assecuti sunt, ut conficeretur Armarium Trium Regum et aedificaretur Domus Cathedralis Coloniensis gothica.

Sollemnitas Trium Regum est **Festum Epiphaniae** (N.sg. **Epiphanîa(s)**, graecê ἐπιφάνεια, i.e. *apparentia* sive *manifestatio Domini*), quod celebratur d.6. m.Ian. Etiam christiani evangelici Festo Epiphaniae reminiscuntur Trium Sapientium. Sed in ecclesiis orthodoxis sollemnitas eorum unâ cum Natali Domini celebratur d.25.

2 Alfred Jeremias: *Babylonisches im Neuen Testament*. J. C. Hinrichs, Leipzig 1905, [S. 51, n. 1](#).

3 Eberhard Nestle: Einiges über Zahl und Namen der Weisen aus dem Morgenland. In: *Marginalien und Materialien* (Tübingen 1893), S. 67–88.

m.Dec. calendarii Iuliani. In Ecclesiâ Coptico-orthodoxâ Alexandrinâ memoria Trium Regum celebratur d.26. m.Dec.^{4 5}

Exegesis et loci Bibliae, qui spectant ad Magos

Matthaeus Evangelista in capitulo altero refert tempore nativitatis Iesu Christi **MAGOS EX ORIENTE** (**Μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν**) eum veneratos esse. En lege verba Matthaei:

ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ ΚΑΤΑ ΜΑΘΘΑΙΟΝ 2,1-2	EVANGELIUM SECUNDUM MATTHAEUM 2,1-2
<p>Τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος ἐν Βηθλέεμ τῆς Ἰουδαίας ἐν ἡμέραις Ἡρώδου τοῦ βασιλέως, ίδον μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν παρεγένοντο εἰς Ἱεροσόλυμα λέγοντες: »ποῦ ἔστιν ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; εἴδομεν γάρ αὐτοῦ τὸν ἀστέρα ἐν τῇ ἀνατολῇ, καὶ ἤλθομεν προσκυνῆσαι αὐτῷ.«</p>	<p>Cum ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam dicentes: „Ubi est qui natus est rex Iudeorum? Videlicet enim stellam eius in oriente, et venimus adorare eum.“</p>

Verbum, q.e. **μάγος** (pl. **μάγοι**; a palaeopersico *maguš*) in Graeco sermone generaliter significabat magum et astrologum, sed specialiter pertinebat ad castam sacerdotum zoroastrica, quae exorta erat in Medorum stirpe sacerdotum huius nominis, quae commemoratur apud Herodotum, Strabonem, Philonem Alexandrinum. Postea in Regno Arsacidarum Iranico (ca. 250 a.Chr.n. - 224 p.Chr.n.) omnes sacerdotes zoroastrici appellabantur magi (*moğ*); qui apud Graecos Romanosque dicebantur esse vates et astrologi perquam excellentes. Fortasse in textu biblico agitur de astrologis persicis aut chaldaicis. Itaque investigatores priores opinati sunt communitatem Iudaicam Babylone versantem aliquatenus valuisse ad hos magos⁶. Secundum theologos exegetas magi Novi Testamenti eo quod quaerunt neonatum „Regem Iudeorum“ (Mt 2,2) se praestant esse participes mundi paganorum⁷: Nam haec notio apud Mattheum a nemine adhibetur nisi a paganis (cf. Mt 27,11.29.37); Iudei loco huius notionis semper utuntur nomine „Rēgis Israeliae“ (Mt 27,42).

Secundum Mattheum magi observaverunt stellam exortam esse, quā annuntiaretur nativitas rēgis (Mt 2,2). Hīc agitur de stellā personali sensu signi caeli a magīs observati. Etiam Graeci Romanique (e.g. VERG. Aeneis 2,694) et Iudei (cfr verbum illius *Bileam de stellā* in Israel oriente Num 24,17 et fortasse columna ignea migrans

4 In Kirchen, die dem [julianischen Kalender](#) folgen, fällt dieser Termin derzeit auf den 7. Januar des [gregorianischen Kalenders](#).

5 Joachim Schäfer: [Balthasar](#). In: [heiligenlexikon.de](#). Ökumenisches Heiligenlexikon, 10.Februar 2022, abgerufen am 24.April 2022 (deutsch).

6 Theodor Zahn: *Das Evangelium des Matthäus* (= Kommentar zum Neuen Testament, Band 1). A. Deichert, Leipzig und Erlangen⁴1922; Nachdruck R. Brockhaus, Wuppertal 1984, [ISBN 3-417-29211-5](#), S. 93 f. Ludwig Neidhart: „Als die Zeit erfüllt war...“, in: *Brücke zum Menschen*, Nr.133 (1998), S.41.

7 Martin Stowasser: *Kommentar zu Mt 2,1–12*. S.3.

in [Ex](#) 13,21) credebant inter se cohaerere talia phaenomena astronomica cum nativitate r̄egum. Num haec narratio magorum biblica exorta sit phaenomeno reverâ in caelo stellato observato (possibilis fuit quaedam constellatio planetarum aut supernova aut cometes), astronomi inter se dissentunt; multi theologi dicunt hanc „*quaestionem non quadrare ad vim stellae Bethlemiticae imprimis symbolicam*“ (v. supra 7).

In versu 3 et 8 magi veniunt primo Hierosolymam, quae, ut est urbs principalis, optimus est locus r̄egis Iudeorum natalis. Hôc loco dicitur, quo animo aristocratae politici atque religiosi nuntium acceperint nativitatis Messiae: „*territi sunt*“ (V.3). Immo in versu 8 Herodes Rex magîs mandat, ut reversi sibi proderent, quo loco versaretur infantulus – his verbis praeparatur narratio infanticidii Betlehemitici ([Mt](#) 2,16–18). Itaque Matthaeus iam in introductione Evangelii affert argumentum maximi momenti, quo Messias recusatur a gente suâ propriâ. E contrario gentes paganicae, ad quas spectant magi, iam ante Israeliam assecuti sunt fidem Iesu Messiae. Quorum adoratio et dona anticipant peregrinationem gentium temporis finalis⁸.

In versu 9 Sapientes iterum sequuntur stellam, quae nunc demum describitur stella *migrans*, quâ iter indicetur. Quae ante magos migrat usque ad Betlehem ibidemque consistit.

Magi ultra modum sunt felices – „*ἰδόντες δὲ τὸν ἀστέρα ἔχαρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα*“ - „*Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valdē*“ – et dona afferunt sua: aurum et thus et myrrham (versus 11). Hic versus r̄efert ad complures textûs Veteris Testamenti:⁹

Pia peregrinatio ad Montem Zion in VULG.Psalm. 71,10–11:

„¹⁰*Rêges Arabiae et Saba tributum conferent* ¹¹*et adorabunt eum omnes r̄êges universae nationes servient ei [...]* ¹⁵*et vivet et dabitur ei de auro Saba!*“

In libro Isaiae 60,6:

„*Omnes de Sabâ venient aurum et tus deferentes et laudem Domino annuntiantes.*“

Et in Cantico Canticorum 3,6:

„*Quae est ista quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus murrae et turis et universi pulveris pigmentarii?*“

Praeterea Matthaeus habet omne donum¹⁰ singulum pro testimonio messianitatis Iesu: aurum donum conveniens R̄egis neonati; myrrha, herba medicinalis, quâ

⁸ Thomas Kaut: *Drei Könige. I. Biblischer Befund*. In: Walter Kasper (Hrsg.): *Lexikon für Theologie und Kirche*. 3. Auflage. Band3. Herder, Freiburg im Breisgau 1995, Sp.364.

⁹ Martin Stowasser: *Kommentar zu Mt 2,1–12*. S.5.

¹⁰ Manfred Becker-Huberti: *Die Symbolik: Gold, Weihrauch, Myrrhe*; Artikel auf der Website „Heilige Drei Könige“

medicamentum conficitur, unâ ex parte donum, quod datur medico et sanatori (*Salvatori*) a Deo misso, alterâ ex parte item ac tus, quod spectat ad templum, donum Summo Sacerdoti Israeliae futuro ([Ex 30,22–33](#)).

Myrrha etiam memoratur in *Evangelio Iohannis* (19,39), ubi *Nicodemus* dicitur centum libras myrrhae cum aloë commixtae ad funus Iesu attulisse. Tradita sunt testimonia valdê matura, quibus myrrha rēgis refertur cum hac re cohaerere.



Commiphora myrrha: A) Pars rami foliati; B) Pars rami finalis, cum fructibus, desgl.; 1 folium, amplificatum; 2 flos masculinus; 3 flos femininus eiusdem speciei; 4 et 5 fructus.



Commiphora myrrha est frutex spinosus aut arbor parva, ramis condylodibus, foliis deciduis, stipite plerumque brevi, altitudine summum 4 metrorum. Cortex externus, argenteus aut albeolus aut caeruleolo-griseus, laevis, deglubitur, ut decidunt frusta magna, pergamento similia et appareat inferior cortex viridior et laevior. Ex sucis vix fragrantibus exsudatis oritur resina cummea dura, pellucida, flaveola.

In textu, qui adscribitur **Beda Venerabili**¹¹ et fortasse originaliter fuit pars enchiridii graeci pictorii, leguntur haec verba: *Balthasar [...] per myrrham filium hominis*

11 Hugo Kehrer: Die Heiligen Drei Könige in Literatur und Kunst; Bd.1, 1908, [S.66](#).

moriturum professus est“. Eodem sensu **Fridericus Spee** verba scripsit haec: „*die Myrrh' auf seine Menschheit wies*“ (i.q. myrrha symbolum fuit humanitatis Christi)¹². Ergo hac in re myrrha non est symbolum salvatoris, sed symbolum hominis mortalis, cuius corpus mortuum myrrhâ conditum in sepulchro ponitur. Haec cogitatio etiam exprimitur antiphonâ, quae spectat ad *Laudem Zachariae diei septimi mensis Ianuarii*, quae incipit a verbis, q.s. „*Benedictus Dominus Israel...*“. Ibi magi pretiosa munera obtulerunt, aurum sicut Regi magno, tus sicut Deo vero, myrrham sepulturae eius. Eadem cogitatio inest textui cantici, c.t. „*Ein Stern ist aufgegangen*“ (i.e. Stella est exorta), quem scripsit **Guido Maria Dreves**: Sapientes attulerunt *tus heredi Dei, filio Rêgis aurum, myrrham illi, qui voluit pro nobis mori crucifixus.*¹³

Matthaeus 2,12 curat, ne Sapientes fiant sodales Herodis scelesti neve Iesum proderent:

ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ ΚΑΤΑ ΜΑΘΘΑΙΟΝ 2,12	EVANGELIUM SECUNDUM MATTHAEUM 2,12
Καὶ χρηματισθέντες κατ' ὄναρ μὴ ἀνακάμψαι πρὸς Ἡρώδην δι' ἄλλης ὁδοῦ ἀνεχώρησαν εἰς τὴν χώραν αὐτῶν.	Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

Haec sunt ultima verba, quae Matthaeus facit de Magîs. Plura non studet dicere de iisdem (v. supra n.9).

Piae narrationes traditae

In graecis litteris antiquitatis exeuntis **μάγοι** solebant appellari sacerdotes Persidis zoroastrici. Quia magi Novi Testamenti aliquatenus spectant ad Ps 72,10 et Jes 60, ubi rôges dona ferunt, *magi* in litteris Christianorum traditis mox etiam rôges denominati sunt. E.g. **Tertullianus** auctor ecclesiasticus saeculo tertio ineunte referens ad hos locos bibliae de Sapientibus scripsit eos se gessisse paene tamquam rôges. Magi autem biblii tandem definitivê rôges dicuntur apud **Caesarium Arelatensem** et **Isidorum Hispalensem**¹⁴. Aliter ac apud eos **Iacobus der Voragine** in *Legendâ Aureâ* nos docet Sapientes esse astrologos et philosophos et magos. In fontibus Christianis antiquis narratur magos baptizatos esse ab *Apostolo Thomâ*, episcopos factos esse, a.54 unâ celebrasse Natale Domini et brevi post mortuos esse¹⁵. *Numerus Sapientium prioribus saeculis variê indicatur. Origines* (185–254) primus auctor indicat *tres esse magos*.

12 *Gotteslob, Katholisches Gebet- und Gesangbuch für das Erzbistum Köln*, Nr.846, Strophe 5; Katholische Bibelanstalt GmbH, Stuttgart 1975

13 *Gotteslob. Katholisches Gebet- und Gesangbuch. Ausgabe für das Bistum Passau*, Nr.783. Stuttgart 2013.

14 Annemarie Brückner: *Drei Könige*. In: [Walter Kasper](#) (Hrsg.): *Lexikon für Theologie und Kirche*. 3. Auflage. Band 3. Herder, Freiburg im Breisgau 1995, Sp.365.

15 v. *Sanctus Balthasar*, „heiliger Balthasar“ usw. Joachim Schäfer: [Balthasar](#). In: [heiligenlexikon.de](#). Ökumenisches Heligenlexikon, 10.Februar 2022, abgerufen am 24.April 2022 (deutsch).



SCS *Balthassar*, SCS *Melchior*, SCS *Caspar*^[15] pileis phrygiis induit. Opus tessellatum saec.VI. (Basilica Sant'Apollinare Nuovo, Ravenna). Vestitus Regum similis est vestibus sacerdotum Sassanidarum.

In picturis parietalibus catacumbarum *Domitillae* Romanensibus quattuor magi sunt depicti loco trium, alia in cataumba (fortasse symmetriae causâ), duo tantum rôges pileis phrygiis induit.

Secundum auctorem Syrum **Iacobus Edessanus** (aramaicê: ܝacobus Ḥadāth, 633-708) et alios fontes posteriores variae fidelitatis Iesus infans visitatus est a duodecim regibus Persis (**Zarvandades**, **Hormisdas**, **Gusnasaphus**, **Arsaces**, **Zarvandades**, **Orrhoes**, **Artaxestes**, **Estunabudanes**, **Maruchus**, **Assuerus**, **Sardalachus**, **Merodachus**) et numerus ternarius derivatus est a trinitate donorum (aurum, tus, myrrha): „*Magi, de quibus Tua Fraternitas rogavit, qui Christo nato ex oriente venerunt Hierosolymam, venerant ex terrâ Persidis e stirpe filiorum illius Elam filii ipsius Sem exorti. Qui non sôlum fuerunt tres, ut pictores coloribus populo pingunt, quia audiverunt de trinitate donorum, i.e. auri, myrrhae, turis, sed fuerunt duodecim, ut tradunt narrationes scriptae accuratiores. Qui fuerunt principes et viri noti et illustres ex terrâ Persidis exorti. Unâ cum iis advenerant multi homines, plus mille virorum, ut omnes Hierosolymitani consternarentur, cum eo venirent*“^[16]. Haec nomina partim parthica originis persicae in syricis litteris traditis unâ cum patribus suis enumerantur.^[17]

In litteris aedificationis sive exstinctionis saeculi undevicesimi atque vicesimi interdum inveniuntur piae fabellae legendae, in quibus *Rex Quartus* nimis sôro venit Bethlehem ad praesepe, sed recto tempore venit ad crucem in Golgothâ statutam, velut apud theologum Americanum et auctorem **Henry van Dyke** a.1895 et fabularum romanicarum auctorem theodiscê scribentem **Edzard Schaper** a.1961. Etiam auctor Francogallus **Michel Tournier** hanc fabellam rôgis nimis sôro venientis inseruit fabulae suae romanicae, c.t. *Caspar et Melchior et Balthasar*.

16 Eberhard Nestle: Einiges über Zahl und Namen der Weisen aus dem Morgenland. In: *Marginalien und Materialien* (Tübingen 1893), S. 71–72.

17 Eberhard Nestle: Einiges über Zahl und Namen der Weisen aus dem Morgenland. In: *Marginalien und Materialien* (Tübingen 1893), S. 67–71.

18 J.Marquart: Die Namen der Magier. Untersuchungen zur Geschichte Irans II. In: *Philologos. Zeitschrift für das Classische Altertum*, Supplementband X.1, 1905, S. 1–19.



El Greco: Adoratio Regum, a.1558 (in Museo Soumaya Mexicopolitano)
Marco Polo refert se iter Persidem faciens visisse *sepulchra Trium Regum Sanctorum*
 in urbe *Sava*¹⁹

In litteris Latinis traditis ex saeculo sexto ineunte inveniuntur formae nominum *Casparis*, *Melchioris*, *Balthasaris* variatae²⁰. Haec nomina variis ex linguis sunt derivata: Nomen *Casparis* fortasse exortum est ex fictione verbi palaeoiranicâ: *ganzabara-* „gestor thesauri“²¹, *Melchioris* videtur derivatum esse ex hebraicâ coniunctione verborum, q.e. *malkî ḍôr* (מלך אור) „rex meus est lux“, *Balthasaris* ex voce neobabylonicâ, q.e. *Bēl-šar-uṣur*, et significat „Baal/Dominus protege Regem“²². In syricis autem litteris traditis tria Regum nomina sunt *Larvandal* et *Gushnasaph* et *Hormisdas*.²³ Apud Armenios appellantur *Kagba* et *Badadilma*; apud Aethiopes appellantur *Tanisuram*, *Mika*, *Sisisba* aut *Awnison*, *Libtar*, *Kasäd*.

In *Ludis Mysteriorum* Sollemnitatis Trium Regum mediaevalis *Legenda Trium Regum* multimodis variatur, praesertim quoad proventum Regum, e.g. in quodam ludo mysteriorum theodisco saeculo 14. scripto Melchior exortus est rex ex *Arabiâ* exortus, Balthasar ex *Sabâ*, Caspar ex *Chaldaeâ*²⁴. In ludis mysteriorum francogallicis (qui facti sunt e.g. in urbibus *Rouen*, *Compiègne*) ex saeculo undecimo attributio *Trium Regum* ad tres terras continentes illo tempore nötas (Europa, Africa, Asia) invenitur.²⁵

Iam **Beda Venerabilis** saeculo septimo in Evangelio Matthaei explicando Tres Magos attribuit ad tres terras continententes:

„*Mysticē autem tres Magi tres partes mundi significant, Asiam, Africam, Europam, sive humanum genus, quod a tribus filiis Noe seminarium sumpsit.*“²⁶

19 Umberto Eco: *Die Geschichte der legendären Länder und Städte*. Hanser, München 2013, S.54 und 61.

20 *Excerpta Latina Barbari*, S.51(B).

21 Walter Hinz: *Altiranisches Sprachgut der Nebenüberlieferung*. Harrassowitz, Wiesbaden 1975, S. 102.

22 Knut L. Tallqvist: *Neubabylonisches Namenbuch*. Acta Societatis Scientiarum Fennice XXXII.2. Helsinki 1905, S. 42.

23 Witold Witakowski, "The Magi in Syriac Tradition", in George A. Kiraz (ed.), *Malphono w-Rabo d-Malphone: Studies in Honor of Sebastian P. Brock*, Piscataway (NJ), Gorgias Press, 2008, pp. 809–844.

24 Hugo Kehrer: *Die Heiligen Drei Könige in Literatur und Kunst*, Bd.1; 1908, 1976²; [S.60](#).

25 Hugo Kehrer: *Die Heiligen Drei Könige in Literatur und Kunst*, Bd.1; 1908, 1976²; [S.63](#).

26 cfr: *In Matthaei evangelium expositio*, PL 92, Sp.13 A = Z.12–15

Plerumque Rex minimus natu *Caspar*, in aliis fontibus etiam *Melchior* et rarius etiam *Balthasar* habetur pro *Africano*.

Cum **Martinus Luther** fictionem trium regum (quae non potest derivari ex bibliâ) reprobaverit (loco magorum vel sapientium numeri ignoti)²⁷, Christiani Lutherani sive Protestantes praeferunt nomen **Sapientium ex Terrâ Orientali** oriundorum.

Tres Magi quomodo exhibeantur arte figurativâ

Arte figurativâ Tres Magi saepe etiam exhibentur adulescens et vir adultus et senex. Nam **Beda Venerabilis** (aut eius successor) circa a.730 secundum textum graecum vetustiorem primum dici fuisse *Melchiorem* senem barbâ cânâ praeditum, alterum *Casparem* adulescentem imberbem, tertium *Balthasarem* fuscâ barbâ plenâ praeditum²⁸:

„Magi sunt qui munera Domino dederunt: primus fuisse dicitur Melchior, senex et canus, barbâ prolixâ et capillis, tunicâ hyacinthinâ, sagoque mileno, et calceamentis hyacinthino et albo mixto opere, pro mitrario variae compositionis indutus; aurum obtulit rēgi Domino. Secundum, nomine Caspar, juvenis imberbis, rubicundus, mylenicâ tunicâ, sago rubeo, calceamentis hyacinthinis vestitus; thure quasi Deo oblatione dignâ, Deum honorabat. Tertius, fuscus, integrê barbatus, Balthasar nomine, habens tunicam rubeam, albo vario, calceamentis milenicis amictus, per mirrahā filium hominis moriturum professus est. Omnia autem vestimenta eorum Syriaca sunt.“

Beda autem nomen coloris, q.e. fuscus, refert ad barbam, non ad capillos capitis, ut hodie saepe contenditur. Numerus ternarius hōc loco videtur referendus esse ad tres aetates hominis.

27 Auslegung der Episteln vnd Euangelien vom Aduent an bis auff Ostern. Anderweit corrigirt durch Martinum Luther. Daruber ein newes Register. Wittenberg 1530: „Auslegung des Euangelij An der heiligen drey konige tag CLXXXV.: [...] Diese Weisen nennet man gemeiniglich die drey Koenige / villeicht nach der zal der dreien opffer / das lassen wir also bleiben bey den einfeltigen / denn nicht grosse macht daran gelegen ist / Aber es ist nicht kund / ob yhr zween / drey odder wie viel yhr gewesen sind“ ([Seite CLXXXVr](#)) „Die der Euangelist hie nennet Magos / heissen wir auf Deudsche die weissager [...] Darumb sind diese Magi oder Weisen nicht koenige / sondern gelerte und erfahren leut ynn solcher natürlicher kunst gewesen.“ ([Seite CLXXXVv](#))

28 Hugo Kehrer: *Die Heiligen Drei Könige in Literatur und Kunst*, Bd.1; 1908, 1976²; [S.66–67](#). Ein altes griechisches Dokument ins Lateinische übersetzt. ([Patrologia Latina, XCIV, 541 \(D\), Collectanea et Flores](#))



Adoratio Regum, in altari Patronorum urbis, pinxit **Stephanus Lochner (1400/10-1451)**,
invenitur in **Ecclesiâ Cathedrali Coloniensi**.

Aetate antiquitatis exeuntis Sapientes arte figurativâ saepe adhuc exhibebantur magi Persae. In opere tessellato, quod sexto saeculo est confectum et Basilicae Nativitatis Bethlehemiticae impositum, sed nobis non relictum, Tres Sapientes exhibiti sunt tegimentis capitum persicis aut syricis induiti. Haec basilica, aliter ac aliae ecclesiae, non destructa est a Persis Sassanidis a.614, fortasse etiam, quia iidem in opere tessellato agnoverunt conterraneos. Etiam Ravennae in **Basilicâ Sancti Apollinaris Novâ** invenitur opus tessellatum, cui insunt Tres Sapientes pileis phrygeis induiti, quales illo tempore in duebant sacerdotes zoroastrici (v. supra, p.12!). Nullus horum Trium Sapientium est colore cutis nigro.

Reliquiae sacrae

Origo atque historia reliquiarum Sanctorum Trium Regum usque ad saeculum 12.um non traditae sunt nisi per pias fabellas legendas. Secundum has fabellas **Sancta Helena** mater Imperatoris Constantini piam peregrinationem in Palaestinam faciens dicitur circa annum 326 invenisse ossa putativa Regum et secum abstulisse. Secundum piam fabellam saeculo duodecimo exortam Episcopus **Eustorgius Mediolanensis** (+ ca. a.350) narratur nonnullis annis post has reliquias dona accepisse easque ipse transtulisse ad sedem suam episcopalem Mediolanensem.²⁹

In **Mediolanensi Basilicâ Sancti Eustorgii** episcopo dedicatâ reliquiae Sanctorum Trium Regum primum documentis historicis possunt demonstrari.³⁰ A.1158 hae reliquiae, cum Mediolanum obsideretur a Friderico Barbarossa, a basilicâ extra moenia urbis sitâ in turrim campanariam *Ecclesiae Sancti Georgii in Palatio* in urbe sitae transportatae sunt.

29 Ekkart Sauser: *Eustorgios I.: hl. Bischof von Mailand* (*Memento* vom 9. August 2010 im [Internet Archive](#)). In: *Biographisch-Bibliographisches Kirchenlexikon* (BBKL). Band 17, Bautz, Herzberg 2000, [ISBN 3-88309-080-8](#), Sp. 356.

30 Andreas Fasel: *Kölner Dom: Das Rätsel um die geklauten drei Könige*. 13.Juli 2014 ([welt.de](#) [abgerufen am 30.Nov. 2019]).



Armarium Trium Regum in Ecclesiâ Cathedrali Coloniensi positum

Mediolano expugnato (a.1162) *Rainardus de Dassel* Cancellarius imperialis et Archiepiscopus Coloniensis a.1164 ossa dona accepit ab Imperatore Barbarossâ. Hôc dono Barabarossa significavit etiam finem politicum. Ossibus virorum, qui declarati sunt fuisse *primos r̄eges christianos*, quodammodo Regnum Barbarossae etiamsi non obnoxium erat Papae, tamen iustificatum est symbolo sacrali. Nam regnum ex Pippino III. eiusque filio Carolo I. aliquatenus obnoxius fuerat potestati papali. D.23. n.Iul. a.1164 reliquiae allatae sunt Coloniam Agrippinam³¹, ubi conditae sunt in Armario Trium Regum circa a.1200 confectum. Cum permulti pii peregrinatores iter facerent ad hoc armarium sacrum, a.1248 inceptum est aedificare Ecclesiam Cathedralem Coloniensem loco minoris Ecclesiae Cathedralis Hildeboldianae. A.1903 pars reliquiarum redditâ est Basilicae Mediolanensi Sancti Eustorgii³². En legas indicem originaliter Latinê scriptum, in quo accuratê afferuntur singula ossicula sanctissima - quisnam audeat in dubium vocare eadem esse ossicula ipsissima illorum Trium Regum Bibliae Sanctorum, qui a stellâ ducti adoraverunt Iesulum infantem eique obtulerunt aurum et tus et myrrham? Ergo lege et mirare mente maximê piâ:

„Ex reliquiis desumptae sunt **una tibia cum fibula illius sanctorum trium corporum**, quod provectionis erat aetatis, **una fibula**, quae erat corporis aetatis mediae, et **una vertebra colli**, quae erat corporis aetatis iunioris. Quae reliquiae traditae sunt e. (minentissi)mo domino Antonio cardinali Fischer, archiepiscopo Coloniensi, pro basilicâ Eustorgianâ Mediolanensi.[...] Pro verâ copiâ. Coloniae, die 28. mensis Augusti 1903. Antonius cardinalis Fischer, archiepiscopus“.

In Cappellâ Magorum Basilicae Sancti Eustorgii invenitur adhuc ingens sarcophagus fastigii aetate Romanâ exeunte constructus, in quo reliquiae traduntur Mediolanum

31 Heinrich Joseph Floß: *Dreikönigenbuch. Die Übertragung der hh. Dreikönige von Mailand nach Köln*. S.30 ff. ([eingeschränkte Vorschau](#) in der Google-Buchsuche [abgerufen am 27.Januar 2011])

32 Hans Hofmann: *Die Rückführung von Teilen der Dreikönigsreliquien von Köln nach Mailand 1903–1904*; in: Jahrbuch des Kölnischen Geschichtsvereins 46 (1975), S.51–72 (mit vielen Dokumenten); hier S.67, Liste der Fragmente. Kopie des Originaldokuments befindet sich in: Mailand, Archivio Arcivescovile, Sacri Riti, Sez. VII, cart. 24.

transportatae esse et ex quo a.1164 exemptae. In tecto eius appareat Stella Betlehemitica et infra legitur inscriptio Latina: SEPULCRUM TRIUM MAGORUM.

Dies Festus

In multis Germaniae regionibus nomina diei sexti mensis Ianuarii sunt „**Festum Trium Regum**“ aut „**Dies Trium Regum**“. Sed nomen huius festi proprium est **EPIPHANIA(S)** (*i.e. apparentia sive manifestatio Domini*). Ecclesia hōc die celebrat apparentiam deitatis Iesu adoratione *Cantorum Stellae*, quae manifestata est in baptimate eius in flumine Iordanis et miraculo, quo mutata est aqua in vinum in Nuptiis in Canâ factis.

In ecclesiis evangelicis Dies Dominicae sequentes numerantur **Dies Dominicae post Epiphaniam**; Ecclesia Catholica Die Dominicâ post Epiphaniam celebrat **Festum in Baptismate Domini**, quo finitur **cyclus sollemnis natalicius**.

Consuetudines traditae

Dona et pompa

In Italiâ parvuli nocte ante diem 6. m.Ian. exspectant dona, quae accipiunt a saganâ **Befanâ**. Nomen huius mulieris fabulosae derivatur a Festo Epiphaniae. Hodie etiam fiunt eventûs nundinis similes in quibus parvulis varia offeruntur, e.g. Romae in *Plateâ Navonâ*.



Cabalgata in El Puerto de Santa María

In Hispaniâ et in Insulis Canariis donatio natalicia fit *Die Trium Regum*. Quo die fiunt *Cabalgatas de Reyes Magos*, i.e. pompa sollemnes, in quibus tres Hispani

vestimentis regiis induiti dulciola iniciunt multitudini³³. Unica pompa Trium Regum Germaniae fit in oppido *Dinkelsbühl*. Quâ in pompâ reliquiae Trium Regum ex **Sacello Trium Regum** ad moenia oppidi sito inferuntur in **Ecclesiam Monasterialem Sancti Georgii**.



Placenta Trium Regum

In Francogalliâ, Belgio, Luxemburgo, Hispaniâ, Lusitaniâ, Argentinâ, Mexico, Lichtensteno³⁴, in magnis Helvetiae partibus et in minoribus partibus Austriae Die Trium Regum in mensâ ponitur **Placenta** aut **Galette Trium Regum** (theod. **Dreikönigskuchen**, francogallicê **Gâteau des Rois** aut **Galette des Rois**, hispanicê **Roscón de Reyes**, in Argentinâ et Mexico **Rosca de Reyes**).



Galette Trium Regum

33 Max Adler: [*Die Cabalgata de Reyes Magos in Spanien*](#). *Die Strandgazette*, 3.Jan.2015, abgerufen am 10. Januar 2016.

34 "Lichtenstenum", e.g., [*Latinitas \(periodicum\)*](#), vol. XXXIII-XXXXIV, 1985, p. 206



Ecce Cantores Stellares Vindobonenses, a.2008

Cantatio Trium Regum

Mos traditus Die Trium Regum cantandi, qui appellatur aut **Cantatio Trium Regum** (theod. Dreikönigssingen) aut **Cantatio Stellaris** (theod. Sternsingens), exortus est ex medii aevi consuetudinibus rogandi, quibus tempestate frigidâ petebatur additamentum aut cibi aut pecuniolae. Cantatio Stellaris medio saeculo vicesimo renovata praecipuē colitur in paroeciis catholicis in Germaniâ, Austriâ, Helvetiâ, Tyroli australi, sed etiam in nonnullis terris non-germanophonis, velut in Bohemiâ, Slovaciâ, Sloveniâ.



Rogatio benedictionis, in Monasterio Marienberg, in Tyroli australi.

Pro his hominibus, a quibus permittuntur domum intrare, cantores stellares canticum cantant et preces dicunt aut carmina recitant. Deinde cretâ benedictâ ianuae domûs aut trabi ianuae inscribunt litteras, q.s. **C+M+B**, easque coniungunt cum numero anni (benedictio domûs). Ex his litteris initialibus nominum, q.s. **CASPAR**, **MELCHIOR**, **BALTHASAR** medio saeculo vicesimo derivata est sententia benedictionis christiana: **CHRISTUS MANSIONEM BENEDICAT³⁵** Plerumque a Cantoribus Stellaribus pecunia colligitur ad incepta fovenda cooperationis excolendi universalis, quae spectant ad infantes³⁶.

35 [Die Heiligen Drei Könige und das Segenszeichen C-M-B.](#) (Memento vom 28. November 2012 im [Internet Archive](#))
Missio Schweiz-Liechtenstein, 2011, (PDF; 19kB)

36 orig. „für kindbezogene Projekte im Rahmen der weltweiten Entwicklungszusammenarbeit“. Quae explicatio interpreti Latino aliquatenus videtur turgida et obscura et nebulosa, parum clara parumque intelligibilis. Quid excolitur pecuniâ a Cantoribus Stellaribus collectâ? Et in quâ terrâ? Et quatenus haec incepta spectant ad infantes?

Aliae consuetudines, quae spectant ad Tres Rêges Santos

In regionibus ruralibus, qualis est *Algoia*, in ecclesiâ benedicitur **Aqua Trium Regum**, idque in memoriam baptismatis Iesu in flumine Iordanis facti, cuius etiam d.6. m.Ian. monetur ratione liturgicâ. Haec aqua, quae tantummodo ad hunc finem vasi speciali ex rivo fluvioque eximebatur, in ecclesiâ benedicebatur, domum afferebatur; credebatur homines protegere a tempestatibus³⁷. Haec consuetudo iam quarto saeculo nôta erat et in ecclesiis orthodoxis colitur sub nomine, q.e. *Magna Benedictio Aquae*. In liturgiâ secundum Ritum Romanum colendâ etiam servata est benedictio *Aquae Trium Regum*.

Partim etiam benedicitur **Sal Trium Regum**. Praeterea Festo Trium Regum solet suffiri propria domus, ut protegatur contra daemones. Festo Trium Regum finitae sunt **Duodecim Noctes**, quae habuerunt magnam vim superstitionis³⁸. **Scidulae Trium Regum** erant scidulae Festo Trium Regum benedictae, quibus inscripta erant C+M+B aut precatioes aut saepe alia vota salutaria aut sententiolae sapientissimae.

Ex a.2012 a servatoribus fluviorum et torrentium vestitu urinatorio induitis in fluvio *Mur* prope Graecium Austriacorum fieri solet **Natatio Trium Regum**, quâ mos vetus traditus renovatur³⁹.

Iconographia

Adoratio Regum eorumque **Iter Betlemiticum** sunt narrationes traditae arte Christianorum figurativâ saepe exhibitae. Earum imagines sunt saepe partes **Praesepis Nataliciorum** multisque in terris themata pittaciorum epistularium.

Ex saeculo 12.o interdum exhibebatur, ex renascentiâ artium solebat exhiberi unus ex Tribus Regibus Africae reprezentator cute nigrâ praeditus⁴⁰. In arte pingendi renascentiae haec attributio iam incohatur ante saeculum 16.um exiens et saeculo 16.o saepe invenitur. Una ex primis imaginibus adorandis, cui inest rex Africanus, picta est aetate Renascentiae Italicae ab *Andrea Mantegna* (1462 et 1495-1505), etiam in Renascentiâ Boreali e.g. *Altaria Trium Regum Iohannis Memling* (a.1470 et 1479) et **Adoratio Regum** a.1504 ab *Albrechto Dürer* picta invenitur talis attributio *geographica*. Iam a.1445 *Stefanus Lochner* in Altari suo Trium Regum Coloniensi pingit comitem cute nigro praeditum, qui inest comitatu Regum.

HAEC HACTENUS.

37 Manfred Becker-Huberti: *Feiern – Feste – Jahreszeiten: lebendige Bräuche im ganzen Jahr; Geschichte und Geschichten, Lieder und Legenden. Sonderausgabe*. Herder, Freiburg 2001, [ISBN 3-451-27702-6](#), S.170f.

38 Berthold Büchele: *Weihnachten im Allgäu*. Sutton, Erfurt, 2014, [ISBN 978-3-95400-384-6](#), S.168.

39 *Dreikönigsschwimmen in Graz* (*Memento des Originals* vom 9. Januar 2021 im *Internet Archive*) Österreichische Wasserrettung Kalsdorf, 6. Januar 2012, abgerufen am 7. Januar 2021.

40 Stephan Waetzoldt: *Drei Könige*. In: Reallexikon zur Deutschen Kunstgeschichte, Bd. IV (1955), Sp. 476–501; in: RDK Labor, URL: <<http://www.rdklabor.de/w/?oldid=93043>>

**SYMBOLAM WIKIPEDIANAM
THEODISCE SCRIPTAM
C.T. „*Heilige Drei Könige*“
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS**

CARMEN QUOD PEPIGIT


MAURUS PISINI POETA LAUREATUS

GRANDO

Grando nivem simulat, rabidis sed culta flagellat,
 mox, acinis, truncat fructus, vel, dira securis
 herbis lapsa, apibus letalem reddit horizonta
 ante favos, chaos est: testarum fragmina muris
 05 hortorum quatit hisque gelat. Serit aetheris iram
 in pratis, gravis et crepitat nec parcit echinis
 castaneae, vibrat inclemens, dein, plectit in hortis
 pulchra olera et segetes in arvis. His prope abactis,
 urbis adit vicos, ubi corpora et ora laccessit
 10 illorum qui, forte, via gradiuntur: amat mors
 alba haec ferre necem quo vitae pulsat aroma,
 quod simul ipsa terit, dum monstrat strata viarum
 granis plena feris. Nam, grando emissa per auras
 cum telis ruit, heu, gelidis mittitque sonores
 15 qui violenti ululant, vel contra tecta sagittant
 atque homines cogunt quodam terrore morari
 aedibus in clausis, ubi stant, ceu membra sepulcris.
 Impete dein valido resonat reboatve per arva
 grando cadens properatque furens: sese applicat uvis
 20 crudele ut murmur, quod saevit vitibus intus
 ictibus adsiduis et fustibus usque malignis
 a summis foliis privat, nunc, fronde racemos,
 quos, raptim lacerans, disiectos spargit ubique,
 dum res vastat edax quocumque infesta minatur,
 25 nil vivum liquens, rura at calva aequora reddens.

TRIAS VENATICA

TRES SYMBOLAE AD ARTEM VENANDI SPECTANTES
quas theodiscē scripsit Naevius Sartorius, togā vestivit Leo Latinus



CERVAE ET HEROES ET SIGNA CAELI

VENATIO QUANTUM VALEAT IN MYTHIS GRAECORUM.

Numerosis nominibus et locutionibus sermonis moderni memoria mythorum Graeciae antiquae usque ad aetatem nostram servata est. Sed multae mythorum peculiaritates cadunt in oblivionem. Eo magis operae pretium est legere magnas narrationes Graecorum mythicas, in quibus inveniuntur etiam multae scaenae venandi. *Naevius Sartorius Venator* per regiones Graeciae mythicae vagans ibidem incidit in deos et homines et bestias memoratu dignissimos.

Aulide in urbe ad litus Maris Aegaei sitâ tota classis navium est congregata, remis velisque instructa. Exercitus Graecorum facturus est expeditionem Ilium in urbem hostilem remotam. At malaciâ obortâ naves non possunt proficisci. Ne aurula quidem flat, vela ex mâlis pendent remissa. Antea autem factae sunt res inexauditae. Rixae fiunt et caelestes et terrestres. Agamemnon dux exercitûs princeps Dianam deam venationis fecit sibi iratam. Nam idem venans necavit cervum arietemque deae devotos necnon gloriatus est se melius scire venari quam ipsam deam. Diana indignata ventos iussit sistere.

Dianam esse crudelem et irritabilem

Graeci pugnatores indignantur. Qui iniuriâ laesi in animo habent ulcisci bello gerendo. Helena, uxor pulchra Menelai, abducta est a Paride, filio Priami Regis urbis Troiae. Oportet Troiani nunc luant poenam – Troia cadat. Tum Calchas vates enuntiat id quod postulat dea irata: Iphigeniae, filiae Agamemnonis, moriendum esse, ut malacia finiatur. Ista est poena a patre luenda propter voluptatem venandi immoderatam et gloriationem. At brevi antequam fiat sacrificium fatale, Diana finem imponit lusui crudeli eo, quod Iphigeniam abducit Tauridem – et arae imponit cervam. Nunc ventis denuo flantibus Graeci ancoras solvunt plenisque velis proficiscuntur. Hoc est praeludium Iliadis, mythi bellici cuiusdam ex omnium maximis; necnon est praeludium mythi cuiusdam dramatis familiae unius ex crudelissimis, quo agitur de Clytaemnestrâ et Agamemnione eorumque liberis, qui sunt Electra et Orestes. Et – stupeas – istud drama est effectum iniuriâ venatoriâ. Dei Graecorum valdê similes sunt hominibus: qui sunt potestatis consciî, ulciscendi cupidi, zelotypici. Diana non excipienda est. Quae non sôlum est dea venationis, sed etiam virginitatis. Diana dominatur silvae; ad eam spectant etiam partus et feminae et infantes. Eadem est una ex illis duodecim deis magnis Olympi, filia Iovis et Letonis, gemina soror Apollinis. Diana est indole animi ambiguâ. Qui eam videt arte figurativâ exhibitam – leviter brevi veste vestitam, sagittis et arcu et pharetrâ instructam, amabilem, fortasse paene amores irritantem, facile fallitur: Diana interdum est crudelis et immisericors et aemula – eiusque animus ferê semper facile laeditur.

Cerynitis, i.e. cerva urbis Ceryniae in insulâ Cypro sitae

De Dianâ multae narrantur fabulae, quibus insunt multae personae variae. Ei quoque venatio primum discenda est; appareat eam non praeditam esse indole venandi naturali. Primum venata est quinque cervas. Quarum quattuor ferit, quintam sinit redire in silvas. Fato – illâ potestate summâ, cui etiam dei sunt subiecti – haec cerva quinta destinatur viro, qui est deae cognatus: Herculi. Providentia vult eundem aliquando tam diu hanc bestiam insecurum esse, dum eadem fatigetur.

Haec cerva, quam Hercules postea mandatu Eurysthei est capturus, partim est androgyna partim animal fabulosum. Quae habet ungulas aeneas, cornua aurea necnon currit celerrimê. Quia haec bestia mirabilis Dianaë est dedicata, Herculi tantummodo licet eam capere, non ferire. Per annum integrum eidem cerva est investiganda. Inter venationem pervenit ad Hyperboreos, mythicam illam gentem felicem, quae incolit regionem septentrionalem; Hercules venit ad fontes Histri fluminis, cursûs Danubii inferioris, et cervam assequitur ad flumen Ladonem per Arcadiam fluens – ergo haud mirum est, quod tantâ venatione fatigatur ipse semideus. Nec ipse mythos certo scit, quomodo Hercules hanc cervam tandem superaverit. Alii narrant eum plagam superieisse cervae dormienti – alii eum sagittam iaculatum esse per utrumque cervae crus anterius. Quia heros exactê crura percusserit inter tendines et ossa, nihil sanguinis effluxisse. Babae! Excellentissimê! Tanta nemo potest nisi deus – aut saltim semideus.

De metamorphosi Actaeonis.

Etiam Actaeon incidit in Dianam ratione fatali. De eo narrantur variae fabulae. Quarum pulcherrima fortasse narratur ab Ovidio in Metamorphosibus: Actaeon foris venatur cum comitibus suis. Ardente sole meridiano eos dimittit ut domum eant hastas plagasque venaticias secum ferentes. Postridie mâne illos vult iterum convenire, ut unâ pergent venatione helluari.

Tum Actaeon ab armatu molesto liberatus loca explorat. Campi fervore coruscant; lucus promittit umbram, fons frigus amabile. At in eodem ipsa Diana se recreat excelsa venando fatigata unâ cum comitatu nympharum. Quae vehementer indignantur de viro mortali, qui loca intret sacra. Quantum nefas! Virum mortalem penetrare loca quae ad neminem spectant nisi ad feminas divinas. Nymphæ conantur se sistere ante deam nudam, ut eam obtegant ab oculis Actaeonis. At Diana nymphas non modo superat ordine atque potestate, sed etiam magnitudine corporis. Dea ab Actaeone aspecta simul agit et virgo casta et domina crudelis: pudore erubescens virum aquâ fontis aspergit eumque inclamat: „***Nunc tibi me posito visam velamine narres, si poteris narrare, licet!***” - Haec est deae sententia magica – tum incipit metamorphosis: Actaeon mutatur in cervum. Qui fugit, ipse obstupefactus, quod subito currere potest tam celeriter. At eo demum momento temporis, quo Actaeon adhuc humanâ ratione praeditus conspicit imaginem sui aquâ redditam, intellegit, quid factum sit de se. Itaque evitare non potest fatum suum crudele. Ut persaepe fit in mythis graecis, heros tragicus ipse efficit fatum suum. Postridie comites Actaeonis

cervo aspecto emittunt canes, qui eum instigatum dilacerant – dominum suum ipsissimum.




DIANA ET ACTAEON.

A.1556-1559 pinxit *Tiziano Vecellio*. Haec pictura invenitur Londinii in *National Gallery*.

Leo et aper et examen avium: Hercules venator

Tritum iam est proverbium Herculem stabulum Augiae intra diem a stercore purgavisse. Inter labores eiusdem sunt etiam tria mandata venatica. Quae referimus ad impugnationem bestiarum nocentium. Hercules enim debet interficere leonem Nemeum et aprum Erymanthium vivum captum Mycenam afferre et fugare horribiles bestias feras volatiles: aves Stymphalicas. Quae aves sunt magnitudine gruum; nidificant in arundinetis Lacūs Stymphali, qui situs est in montibus Arcadiae mythicae, quam vix ulli homines incolunt. Istaes aves sunt bestiae verē monstruosae;



HERCULES ET AVES STYMPHALIDAE

nam instructae sunt rostris ferreis; etiam earum unguis et alae feruntur esse ferreae, quo fieri potest, ut pervadant bellatorum lorias. Pennis suis metallicis utuntur tamquam sagittis, quas iacentur in homines bestiasque. His armis istae aves saeviunt terribiliter, usque dum Eurystheus Herculi mandat, ut fuget ista monstra horrenda. Sed etiam Hercules hoc mandatum exsequi non valet nisi aptis armis instructus. Quae accipit a deâ sibi affini. Minerva enim apparelt Herculique dat crotala metallica; quae scilicet fabricata esse in officinâ Vulcani. Crotala operantur excellenter: Secundum unum mythi narratorem ipso sono perterritrerepo volatilia pugnacissima narrantur tam vehementer territa esse, ut fugâ salutem peterent. Sed talis finis parum quadrat ad mythum heroicum; itaque ab altero narratore nobis affirmatur Herculem primo crotalis crepitibus id effecisse, ut aves Stymphalicae in aëra provolarent, deinde easdem percussisse sagittis suis; heroem crotalis sollerter usum esse, ut tamquam scuta se protegerent contra pennas percussibiles. Hôc modo Hercules interficit haud parvam partem istius agminis avium; reliqua pars aufugit – quo fit, ut Arcadia tandem requiescat.

Orion: Venator caelestis cum duobus canibus

Is vir est magnus et robustus; duos habet canes, Sirium et Procyonem, qui eum venantem comitantur: agitur de Orione venatore boeotio. Aliquando idem in matrimonium ducere vult Meropen filiam Oenopionis, qui regnat in insulâ Chio. Orion in mytho fertur Meropes gratiâ icisse omnes bestias feras in insulâ versantes. At Oenopion non permittit Orionem fieri suum generum. Itaque Orion salax atque importunus spe deceptissimus Meropen constuprat. Tum pater puellae istud facinus ulciscitur dolosê et crudeliter eo quod Orionem invitatum, ut potaret, oculos viri inebriati effodit. Sed Vulcanus venatori obcaecato mittit Cedalionem fabrum ferrarium, qui Orionem duceret ad solem orientem, ut visu recuperato venari pergeret.

In insulâ Delo Aurora, dea ruboris matutini, in amorem incidit Orionis, qui est corpore pulchro. At eorum amor haud feliciter evadit. Nam aemula mulier bene nôta

vim adhibet solitâ cum saevitiâ et sine ullâ dubitatione: Diana Aurorae amabili (quae ab Homero dicitur ῥόδοδάκτυλος Ἡώς, i.e. *Aurora roseis digitis praedita*) – non congaudens Orionem sagittâ percutit. Tandem etiam ista dea haud abstinet a commotione animi humanâ: Nam Diana, cum se huius facinoris paeniteat, Orionem signum aeternum imponit caelo, ubi idem vir, qui iam antea facibus Veneris prurientis facile accendi solebat, nunc venatur septem nymphas nomine *Pleiadas*, quae apparent brevi ante suum signum caeleste.

Alio autem mytho Orion inducitur venator nimis ambitiosus: qui iactabundus annuntiat se velle ferire omnes bestias feras. At deitas quaedam feminina – aut Tellus aut Diana aut Iuno - mittit scorpionem, qui Orionem pungat. Asclepius venatorem vastum atque ferum vult servare, sed eius ars medica est parum efficax: Orion moritur – et unâ cum canibus suis signum ponitur in caelo. Licet hic mythus Orionis habeatur quadamtenus pro elemento praevetusto, ex quo multo post exorta est moderna venandi disciplina ethica. Haec interpretatio si convenit, mythus Orionis nos docet Tellurem matrem terrae tutari animalia sua, ne intereant venatione immoderatâ et perniciosa.


De Atalantâ muliere sui iuris fortissimâ

Etiam in mythis Graecorum non sôlum viri venantur: in iisdem narratur *Atalanta* fuisse venatrix excellentissima. Quae nata similem fortunam patitur ac Oedipus. Iasos enim pater Atalantae, cum sibi exoptaverit stirpem masculinam, quodam consilio crudeli inductus exponit filiam suam propriam. At Diana intervenit. Eadem enim infantulae mammadae mittit ursam. Venatores puellam receptam suâ arte erudiunt; quod eos fecisse successu cum optimo, Atalanta mox demonstrabit specimen artis venaticae praebens lucidissimum.

Oeneus rex Calydonis aliquid facit nefariê: Nam animo – ut videtur – oblivious Diana non immolat; quae dea irritabilis isti delicto ulciscendo studens in Calydonem mittit aprum monstruosum, qui agros rîgis eruens occidit pecora et agricultores. Oeneus desperatus venatores fortissimos invitat, ut feriant ingens monstrum horrendum. Multi heroes mandatum rîgis sequuntur; Atalanta quoque petit Calydonem.

Duo fortes sanê viri primo recusant, ne venatum eant unâ cum muliere – en istos tantâ arrogantiâ inductos! - sed Meleagrus amore Atalantae inflammatus illis duobus viris persuadet, ut fiant participes – et omnes venaturi proficiscuntur. Hac autem venatione periculosâ nonnulli homines moriuntur. Tamen tandem viribus unitis feritur sus ferus. Atalanta eundem sagittâ percutit, Amphiaraus obcaecat, Meleagrus vulnerat hastâ latus perfodiens. Denique venatores inter se rixantur de pelle aprugnâ tropaeo venandi honestissimo. Scilicet Meleagrum amoris causâ eandem attribuere velle Atalantae; sed inde fit, ut ceteri venatores indignantur. Plexippus enim eiusque frater Toxeus sentiunt, cum incertum sit, quis bestiam necaverit, oportere, ut pellis attribuatur Plexippo ipsi, qui sit venator omnium maximê honorabilis. Rixa cum exarserit, duobus venatoribus evadit mortiferê: Meleagrus amore Atalantae iratus

interficit duos sui avunculos. Tamen ex hac venatione efficitur etiam aliquid bonum: Iasos tandem agnoscit filiam sui propriam.



ATALANTA ET MELEAGRUS

Absolutismus realitatis

Mythi Graecorum sunt ambigui: qui sunt pleni crudelitatis, pleni energiae archaicae. Secundum mythos deorum hominumque facta sunt inconsiderata, iracunda, cupida, libidinosa necnon ferē semper turpia atque improba. In mythis homo experitur id quod philosophus *Johannes Blumenberg* in opere, c.t. „*Arbeit am Mythos*“ – denominat *absolutismum realitatis*: Homo iterum iterumque cognoscit se expositum esse viribus naturae praepotentibus, quas nesciat ratione explicare, nedum ut contineat coērceatve. Idem non est dominus fati sui, quod - quomodocumque eidem repugnat resistitve - denique non effugit. ΑΝΑΓΚΗ, *necessitas* a Graecis appellatur haec condicio hominum fatalis in mythis descripta – quae maximē discrepat a consideratione vitae humanae modernā, quā credimus hominem ipsum esse suaे fortunae fabrum mensuramque suarum rerum omnium.

Miraris, quot et quantas res mythi Graecorum – in quibus tot experientiae humanae aliquatenus concrescunt – narrando anticipent atque praesumant: aves teleplanis¹

¹ *teleplanum, -i n. i.q. aëroplanum telemoderabile, aëroplanigae expers, angl. *drone*, *UAV* (i.e. *unmanned aerial vehicle*). Hoc verbum novatum est a *Gaius Licoppe*, Nestore Latinitatis vivaे optime merito.

modernis similes; mulieres fortissimas et emancipatas; rixam de tropaeo venationis factam; naturam indeterminabilem; casūs fortunae varios atque dubios, qui neque sunt iusti neque explicabiles et interdum intolerabiles. Quaeras nolens, nonne nos hodie similia experiamur. Quibusnam viribus decernitur - ut afferam exemplum minimi momenti - utrum nobis venantibus aliqua bestia fera exspectanda sit per integros dies an eandem statim assequamur? Quisnam decernit, utrum fiat ventus an malacia? Utrum hic est caecus casus fortuitus, ratio aetatis modernae arida atque exsanguis, an est fatum antiquorum an aliqua deitas? Fortasse adhuc Diana nos venatores observans interdum ludibrio habet, ad libitum sui. Quisnam hoc certo scit, quisnam hoc nobis dicat? ---

Iphigenia eiusque pater

Schwab, 4.ed., a.2003, Gondrom, p.205 sqq.
<https://de.wikipedia.org/wiki/Iphigenie>

Aves Symphalicae

Schwab, loc.cit., p. 110
https://de.wikipedia.org/wiki/Stymphalische_V%C3%B6gel

Cerynitis

Schwab, loc.cit. p. 108; Fink, loc.cit., p. 168
https://de.wikipedia.org/wiki/Kerynitische_Hirschkuh
<https://www.theoi.com/Ther/ElaphosKerynitis.html>
 Hyperborei etiam commemorantur a Nietzsche in "Antichristo"

Atalanta

Quae etiam a Schwab commemoratur - in alio contextu; ceterum etiam Fink, p. 60, signo exclamationis affirmat eam participem fuisse venationis apri Calydonii, quo signo videtur efferre ipsam mulierem venatam esse.
<https://www.maicar.com/GML/CALYDONIANHUNTERS.html>
https://de.wikipedia.org/wiki/Kalydonischer_Eber

Actaeon

<https://lateinon.de/uebersetzungen/ovid/metamorphosen-3/actaeon-2-155-191/>
<https://de.wikipedia.org/wiki/Aktaion>

Orion

[https://de.wikipedia.org/wiki/Orion_\(Mythologie\)](https://de.wikipedia.org/wiki/Orion_(Mythologie))
 Etiam Ulixes Orionem commemorat de regno umbrarum referens (Schwab, loc.cit. p. 446)

DE MYTHIS GRAECORUM VENATICIS

RETTULIT

NAEVIUS SARTORIUS,


LATINE REDDIDIT

LEO LATINUS

COMMENTARII DE VENATORE SCRIPTI

Ivanus Sergeides Turgenievus (Иван Сергеевич Тургенев) est unus ex Russicae litteraturaे auctoribus maximi momenti. Opere quod inscribitur *Записки охотника* i.e. *Commentarii venatoris*, in claritudinem pervenit. Etiam post plus centum quinquaginta annos operaе pretium est hoc opus accuratius considerare: quia est documentum aetatis, quâ scriptum sit, quia eodem mores societatis castigantur, quia subiectum est censurae publicae – necnon quia est opus litteraturaе venatoriae excellentissimum.

Scripsit *Naevius Sartorius*, Latinē reddidit *Leo Latinus*.



Иван Сергеевич Тургенев (1818-1883)

Per multos annos in angulo aliquo bibliothecaе meae obscuro libellus tenuis stabat illectus, cui inerat russica fabula novella minor. Aliquā horā languidā libellum exēmi, ex eius margine superiore pulverem efflavi annis labentibus depositum, legere coepi – et lectio magis magisque animum meum tenebat correptum.

Narratur enim in hac fabulā, quomodo *Vladimirus Petrowitsch* (Владимир Петрович) adulescens sedecim annos natus tamquam e somno excitatus arcana Veneris agnoscat postquam amare coepit *Sinaidam* (Зинаида Александровна Засекина) filiam principis, quae est aetate viginti unius annorum. Argumentum est simplex rectoque ordine exponitur - tamen ita, ut excitet ingentem animi suspensionem. Hominum mores et indoles describuntur summā cum diligentia atque subtilitate. Genus scribendi prosaicum huius fabulae novellae mihi videbatur vetustum et lyricum, sed vox narratoris quodammodo per saecula ad me hominem

modernum personabat. Nec defuit quaedam sententiola, quae quamvis loco secundario posita vehementer excitavit cupiditatem mei et textum et auctorem noscendi: „*Consuetudo mihi erat omni vespere per hortum nostrum vagari et cornices venari.*“ Sic scribit narrator primâ personâ referens. Haec fabula novella inscribitur Первая любовь, i.e. *Primus amor*. Cuius auctor est cosmopolites et poeta et vir doctus et peregrinator – necnon venator: qui vocatur *Ivanus Turgenjew*.

Migrator limitaneus orientali-occidentalis

Turgenievus a.1818 nobilis natus est in *Spasskoje* (Спасское) praedio parentum. Infantiam et adulescentiam degit in *Orjol* (Орёл); ut solet fieri in familiis nobilium, puer instituitur a magistris domesticis. Iuvenis *Moscuae* atque *Petropoli* studet litteraturae cognoscendae et per biennium munere officialis publici functus studet privatum victimum sibi parare auctori litterarum libero. Qui ex a.1855 peregrê vivit, praesertim in Francogalliâ et Germaniâ. Auctor loquitur linguâ theodiscâ et francogallicâ et anglicâ; amici ei sunt praeter multos alios *Gustavus Flaubert* et *Theodorus Storm*. Turgenievus a.1883 moritur morbo cancri affectus in domo suâ in oppido *Bougival* prope Parisios sito.

Aetate Turgenievi societas Russiae commutatur. Ad Imperium Caesaris Russorum ferê immensum valent vires inter se repugnantes. Hominum eruditorum alii aliter sentiunt de ordine societatis mutando. Alii Russiam volunt reformare secundum ideas occidentales, alii, i.e. *slavophili*, perseverant in moribus orthodoxis traditis conservandis. Hunc antagonismum hodie adhuc senties si iter facies in ambas Russiae metropoles: *Moscua* est magnifica et magniloqua neque sôlum situ suo, sed etiam indole suâ animi est orientalis. E contrario *Petropolis*, urbs structurâ praedispositâ et a *Petro Magno* in margine Imperii occidentali eo fine aedificata, ut fiat „*fenestra ad occidentem versa*“, subtilior et magis cosmopolitica, sed neque prorsus russica neque occidentalis. Etsi has duas metropoles Russiae peregrinando et morando quam diligentissimê pernoveras – tamen nondum novisti Russiam totam. Nam vita verê et genuinê russica agitur in Russiae provinciis, in regionibus huius terrae ingentis amplissimis, in silvis et campis et domibus ligneis. Talis enim est Russia agricolarum et praediorum nobilium, qualem descriptsit Turgenievus in „*Commentariis venatoris*“.

Commentarii venatoris

„*Commentarii*“ ex a.1847 editi sunt in periodico, c.t. *Современник* (i.e. *Coaequalis*). Hoc opus continet episodia, quae non nisi laxê inter se coniuncta sunt.



ECCE TURGENIEVUS VENATOR
A.1879 pinxit Nikolai Dmitrijew-Orenburgski

Nemo nisi narrator primâ personâ loquens et nonnulli protagoniae compluries agentes inducuntur. Scaenae aguntur venationis, natura observatur, subtiliter describuntur agricolae et domini praediorum. Turgenievus *Commentariis venatoris* accusat servitutem glebaticam castigatque licentiam immoderatam, quâ sunt domini praediorum. Haec accusatio fit indirectê: malis atque vitiis societatis sincerê describendis – necnon ironicê: verbis afferendis, quae facientes Turgenievus inducit personas. Sed auctor non ipse dicit, quae ex rebus descriptis concludenda sint: hoc relinquit lectori faciendum. Haec reticentia Turgenievi est facilis intellectu, nam ex a.1842 decreto circulari interdictum est, ne publicê disputetur de servitute glebaticâ. Censura publica viget valetque.

At in Imperio affectus animorum est seditiosus – et vix 20 annis postea, a.1861, Imperator Alexander II. dominis praediorum vehementer resistantibus curat servitutem glebaticam abolendam.

Hic est status rerum qui valet in Russiâ medio saeculo undevicesimo – qui redditur *Commentariis* Turgenievanis. Sed iniustê de his commentariis prosaicis iudicares, si descriptiones naturae et scaenas venationis diceres nihil esse nisi additamenta minoris

momenti – immo nihil esse nisi harenam, quam Turgenievus inspergat oculis censorum officialium. E contrario iisdem locis Commentariorum ipsis hoc opus Turgenievianum usque nunc est dignum, quod legatur. Nam lector eiusdem statim animadvertisit Turgenievum scribere experientâ propriâ doctum. Hic auctor etiam peculiaritatibus rerum quam minimis visu claro et incorrupto perceptis sermonem suum prosaicum tam luculenter animat et vivificat, ut lectori res et personae narrando descriptae semper videantur versari coram praesentes.

Difficultates grandinem plumbeam suppeditandi

Fabula agitur circa a.1840 in provincâ aliquâ russicâ. Illo tempore nondum exstat sclopētum fistulae deplicandae, quae deplicatur, ut pyrothecio oneretur². Nondum inventum est modernum pyrothecium grandinosum³. Itaque necessarium est, ut flinta a fronte oneretur pulvere pyrio, substantiâ intermediâ, grandine plumbeâ⁴, deinde capsula accensiva⁵ est imponenda. Certê haud raro factum est, ut accensio deficeret aut pulvis pyrius fistulae inspersus fieret umidus et iners. Nec desunt alia mala, quae hodie vix possunt mente fingi. In quadam scaenâ venator nomine *Jermolai* (Ермолай), minister narratoris adlatus, urgenter monet:

Iermolaius autem me accedens in conclavi cubantem (modo prandium sumpseram meque in lecto campestri collocaveram, ut requiescerem a venatione lyrurorum⁶ (satis fructuosâ, sed laboriosâ – medio mense Iulio, et fervore urente): „Heus Domine“ inquit, „restat mihi dicendum – grandinem plumbeam nos defecisse.“ - Tum e lecto prosilui. „Grando nos defecit? Quare? Domo triginta ferê libras grandinis nobiscum attuleramus! Integrum saccum plenum!“

„Rectê dicis. Saccus fuerat plenus, certê nobis suffecisset per duas septimanas. Quisnam scit! Fortasse sacco inest foramen, sed quomodocumque factum est, non iam habemus sat multum grandinis... iis qui sunt nobis relictii, vix decies possumus sclopetare.“

„Quid nunc faciamus? Restant nobis loca venandi optima, promissae nobis sunt in diem crastinum sex catenae lyrurorum.“

„Mittas me, Domine, Tulam. Quae haud procul abest, quadraginta quinque tantum miliariis. Quo vehar celeriter et afferam grandinis, si iusseris, integrum pudum⁷.“

Volatus scolopacum nuptialis

Venandi labores viriumque contentiones, quas narrator saepe non tangit nisi leviter, lector modernus licet suo more mente fingat notiones prisci sermonis russici intricatas pervadens. Multae res in hac novellâ commemoratae hodie non iam exstant – si

² orig. *sclopētum fistulae *dēplicābilis, quae dēplicātur, ut *pyrothēcīō onerētur*. i.e. orig. „Kipplaufwaffe, die man bricht, um sie zu laden“.

³ **pyrothēcium grandinōsum* orig. *Schrotpatrone*.

⁴ *grandō plumbea* orig. *Schrot*.

⁵ *capsula accēnsīva* orig. *Zündhütchen*.

⁶ **lyrūrus, -ī m. avis, quae habet caudam formā lyrae instructam, russ. Тéтерев, theod. Birkhuhn.*

⁷ **pudum, -ī n. i.q. russicē пуд (quadraginta ferē librae)*.

adhuc exstant, nusquam exstant nisi in Russiâ. Lector obiter disct *pudum* esse russicam unitatem ponderis vetustam, unitate, q.e. *versta*⁸, mensurari itineris longitudinem. Aliquatenus divinabit *telegam*⁹ esse vehiculum et *starostam*¹⁰ esse incolam vici vetustissimum. Praeterea pernoscet possessores praediorum arrogantes et pueros superstitiones et tales venatores mirê insolitos sed aptissimos, qualis est *Iermolaius* – cuius gena dextra repulsa flintae sua clusurâ silicatâ instructae semper est tumida, qui pulverem pyrium et grandinem plumbeam secum fert marsupio nodis artificiosê bipartito impositas et substantiam intermediate conficit ex mitellâ suâ - et lector iterum iterumque incidet in narrationis partes tam pulchras quam a temporis peculiaritatibus remotas, qualis est descriptio *volutûs scolopacum*¹¹ *nuptialis*:

„Tempore vernali, quadranti horae ante solis occasum cum sclopeto, sed sine cane eas in silvam. In margine silvae quaeras tibi locum aptum, circumspicias, perquiras capsulam accensivam et comitem oculis certiores facias. Quadrans horae transactum est... Exspectes. Silva paulatim obtenebrescit; lumen solis abeuntis rubrum lentê labitur super arborum radices atque stipites, altius altiusque ascendit a ramis inferioribus, adhuc paene nudis, ad cacumina immobilia obdormiscentia ... Iterum supra te resonat vox lucida phylloscopi; alicubi clamat flebiliter oriolus; luscinia primum vibrissat. Cor tuum est exspectatione perquam fatigatum – et subito – sed nemo nisi venator intellegit me hoc dicentem – subito in vasto silentio audies mirum crocium et sibilum submissum simulque plausum alarum celerem et aequalem – en aspice scolopacem silvestrem longo rostro pulchrê declinato e sede suâ post betullam opacam sitâ lentê provolantem ictu sclopeti delapsuram.“

Iter naviculare

Alio in episodio venatores naviculâ planâ vehuntur in lacum, ut anates venentur. *Susocius*¹² famulus vetulus naviculam baculo a ripâ amovet, ut lentê dirigat eandem ad locum aptissimum, ex quo sclopetetur.

„Tandem assecuti sumus arundinetum, et nunc coepit delectatio. Anates territae, cum subito advenissemus earum possessiones, magno cum strepitu ex stagno summo surrexere, et ictûs sclopotorum post eas crepuerunt. ... Vladimirus, quod Iermolaio erat magno solacio, non ita excellenter sclopetavit; qui post omnem iactum irritum mirabatur, flintam suam perquaerebat, fistulam inflabat necnon denique causam explicabat, quâ a scopo aberravisset, cur iactus sibi deerravisset.

Turgenievus, postquam obiter, sed cum subtilitate psychologicâ observavit sclopetarios, curat, ut tota scaena evadat in mucronem comicum. *Susocius* officiosê

8 **versta*, -ae f. i.q. russicê верста.

9 **telega*, -ae f. i.q. russicê телега.

10 **starosta*, -ae m. russicê староста, polonicê starosta, lat. capitaneus (cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Starost>).

11 *scolopax*, -ācis m. (σκολόπαξ) i.q. russicê Бальдшнеп, theod. *Schnepfe*, angl. *woodcock*.

12 **Susocius*, -ī m. est nomen famuli venatici proprium, i.q. russicê Сучок.

digito indicat anates, quae usque nunc venatores fugerunt – et parvus grex omnino obliviscitur lintrem non esse densam:

„Iam pridem animadvertere potueramus aquam guttatum manare in naviculam nostram planam ... At naviter sclopetando dediti non iam respeximus statum naviculae nostrae, cum subito motu Iermolai vehementi (qui studens avem glande plumbeā percussam ex aquā eximere totum corpus deflexit super marginem) navicula nostra detrita in latus inclinata aquā impleta sollemniter submergebatur; feliciter hoc accidit loco non profundo. Exclamavimus, sed sēro malum animadvertisimus. Statim in aquā stetimus usque ad colla submersi, anatum mortuarum corporibus natantibus circumdati. ... Omnis nostrum sclopetur supra caput tenebat, et Susocius, certē quia consueverat omnia imitari a domino suo facta, tenuit contum supra caput.“



ECCE SUSOCIUS FAMULUS DOMINUM IMITANS. Pinxit Sokolov.

Eum societate criticē descriptā exilio punitum esse

Lector animo fingens imaginem lintris subversae, non potest quin submissē rideat in sinu gaudens. Sed quantopere delectabilis haec scaena videtur – vis eiusdem comica est ambigua. Eo momento temporis, quo navicula subvertitur, Susocius sine ullo fine contum tenet sublatum, quasi eodem posset servare flintam cum capsulā accensivā et onere pulveris. Idem tam strictē sibi videtur domino suo obligatus esse, ut etiam motū domini ultro imitetur. Hoc est miserabile et comicum necnon amarum. Susocius funditus propriam sibi fecit condicionem subalternam - et lector hodiernus

saeculi vicesimi primi leviter tantum suspicatur, servitus glebatica quantam vim habuerit ad animas hominum iuribus privatorum.

Quamvis Turgenievus submissê tantum mores hominum castiget, tamen eius inclinatio criticae socialis magistratûs censorios haud fallit. Turgenievus a.1852 necrologum *Gogolii* scribit, c.t. „*Epistula de Gogolio scripta*“ - eademque *Epistula* poetae evadit fataliter. Magistratus censorius satis suspiciosus non permisit textum publicare, tamen publicatur in *Nuntiis Moscuensibus*. Magistratus hanc causam perquirit. Turgenievus a biocolytis comprehensus et accusatus in exilium bienne expellitur in *Spasskoje* praedium suum Orjolense. *Epistula de Gogolio scripta* certê ansam dedit reprehensionis, magistratus censorius praecipuê voluit crimi dare ingratos illos *Commentarios*. Qui casus infeliciter evasit censori, quem praeterierant critica socialia a Turgenievo prudenter in textum abdita: Îdem vir officialis cum opus permiserit publicandum, a munere dimittitur.

Stellae Trigeminae

Historici litteraturae his tribus auctoribus fabularum Russiae romanicarum qui sequuntur solent imponere nomen *Stellarum Trigeminorum*: *Tolstoius* et *Dostoievscius* et *Turgenievus*. Tolstoius est *moralista*, Dostoievscius est *psychologus*, Turgenievus est *aesthêtes*. Îdem narrator postremus longê aliter ac duo reliqui personas suas non mittit per scaenaria mente ficta, in quibus eaedem ratione psychologiae atque ideologiae aberrent a finibus sibi propositis. Turgenievus non docet, sed describit – homines, mundum, naturam; hoc facit empathicê, partim lyricê. Qui poeta fenestram aperit versus occidentem sitam – in utramque directionem – et nos hanc fenestram animis magnâ suspensione affectis perspectantes cognoscimus integrum κόσμον: amorem infelicem, conventiones obsolescentes, rerum commutationem, conflictûs generationum, simultates quae sunt in Russiâ necnon iterum iterumque – *venatorem et venationem*.

**De opere Turgenievi narratoris Russiae ingeniosi, c.t.
„Commentarii de venatore scripti“
rettulit Naevius Sartorius,
in Latinum convertit Leo Latinus.**

DE AETATIS MODERNAE INCOMMODITATE

In horizonte aetatis praesentis apparent facultates ingentes. At quo maior fit potestas hominis effectrix, quo fortius res mutantur, eo magis incipiunt dissolvi firmē composita. Utopia et dystopia inter se spe nostrā propinquiores sunt. Magis quam umquam antea oportet homines certiores fiant, quo ire possint. Sequitur temptamen, quo tractem aetatis modernae res humanas et venationem necnon ethicam venatoriam.

Cursus temporis videtur accelerari neque umquam desinit secum afferre novitates. Mutatio est existentiae nostrae proprietas fundamentalis – at quaerendum est, num omnis mutatio sit progressus utilis. Vix fieri potest, ut obiectivē definiamus, qualis sit progressus huiusmodi. Nimis simplicis animi est opinari omnem mutationem per se esse progressum utilem. Mutatio est necessaria, sed non est necessario bona – mutatio ipsa non est mensura ethica. Nil novi est hominem decipi posse erroribus fatalibus, ab homine violentiam et revolutionem ipsumque bellum laudari posse cum iubilo. Nec raro ratio vivendi nova primo cum furore celebrata postea intellecta est priore peior et crudelior. Sufficiat meminisse turbationum scelestarum, quae factae sunt *Revolutione Francogallicâ et communismo sovietico*.

Quonam modo aestimemus sive masuremus, num progressus sit utilis, i.e. num sit mutatio, quā assequamur aliquid melius? Mensura nobis apta neque est i.q. vetus neque i.q. novum per se ipsum. Potius oportet progressum mensurare rebus perpetuis – rebus constantibus, quas homo cognoscit experientiis vitae concrescentibus. Ut aliter dicam: Mutatio quid valeat oportet masuretur eo quod est ***humanum***. Mutatio non est progressus verē utilis, nisi fit ***humane*** et efficit ***humana***.

Transcendentia

Si quaerimus *humanum*, nobis patet totum panorama philosophiae. Eo quaerimus rem gravissimam: quidnam sit homo. Si hanc quaestionem perpendere vellemus paucas lineas scribentes, nobismet ipsi nimium confideremus; tamen fieri potest, ut nonnullas rationes huius quaestionis – saltim adumbrando – perscrutemur. Vita autem est, ut verbis utar *Nabokovianis* – brevis rima lucis duabus tenebrarum aeternitatibus interposita. Hōc in spatio temporis homo experitur se esse limitatum. Cui sensum vitae suae explicandum quaerenti iterum iterumque opponuntur limites proprii. Ad illos limites, ad quos homo prospicit in incertum, oriuntur magni mythi; ibidem exoritur scintilla primigenia religionis necnon philosophiae. Existentia humana *in nuce* est *relatio ad limites proprios* et aenigmata, quae sita sunt trans hos limites; existentiā suā homo iterum iterumque ducitur trans se ipsum. Humanum est *transcendens*.

Notio rei transcendentis invenitur – praeter multos alios – apud *Kantium* et *Jaspersium* et *Heideggerum*. Victor Frankl psychiater affirmat „*factum fundamentale constare anthropologicum in eo, ut existentia hominis semper referat ad aliquid trans eum ipsum situm: ad sensum...aut ad existentiam alterius hominis, in quem ibi incidit.*“

Etiam philosophia atheistica non abstinet a re transcendentia: *Nietzsche* annuntiat post mortem **DEI** factum iri *superhominem*, qui existentiam suam transgrediens ipse sibi offerat sensum existentiae sua. *Albertus Camus* existentialista homines invocat ut seditionem conflent contra *absurdum*. Id quod est sensū expers, quod est absurdum, ab eodem factum est ens adversarium mente fictum, ad quod potest referri. At hae significaciones sunt egenae: absurdum, contra quod seditio est facienda, nihil est nisi desperatio hominis de mundo. *L'homme révolté*, i.e. homo seditiosus, in fine seditionem facit contra se ipsum. Etiam *superhomo* Nietzscheanus nihil potest nisi transcendere se ipsum – sed ad quem finem propositum ascendit?

Appropriatio sui ipsius

Quo magis aliqui philosophus humanum quid sit definire volens hominem exsolvit ex experienciis eius fundamentalibus, ex relatione eius ad limites proprios, eo difficilius fit attribuere existentiae humanae *sensem*, ethicae humanae *causam*. Etiam **transhumanismus** hōc tempore valescens docet quandam hominis transcendentiam; id enim studet, ut homo transcendat ad machinam. Transhumanistae credunt hominis functiones arte technicā perficiendas esse.

Hīc apparet differentia categorialis: Ille sensus, qui efficitur experientiā transcendentali, in systemate transhumanismi ferē nihil valet. Secundum hoc sistema (si umquam ad veritatem posset adduci) homo actu appropriationis potiretur sui ipsius, per ultimam consequentiam collocaret se ipsum in initio et in fine circuitū vivendi sibique arrogaret munus domini creationis mundi eo quod technologiā moderaretur omnibus actionibus biologicis. *Homo transhumanus* dominus esset partū et mortis, statura et formae animantium.

Deinde omnia efficerentur voluntate hominis transhumani. Homo sibi solus satis esset et vitam degeret in signo omnium possibilium. Nihil esset determinatum, sed omnia determinabilia. Homo dijudicaret, quae essent menda naturae, et eadem corrigeret. Si quid naturale displiceret, voluntate posset mutari: liberā electione sexūs, immo aetatis, mutationibus morum corporisque genotechnicis.

Ethica nil esset nisi actionum biologicarum correctio quam optima, conditio societatis et oeconomiae nil esset nisi ars ingeniaria, fines proponendi methodique a nemine nisi ab homine definirentur.

Virtualis obbrutescentia¹³ virtualisque ebrietas

Hoc demonstrari potest etiam in omnibus rebus minoribus: Si transhumanismus hominem imprimis haberet pro organismo correcturā dignum, esset medicamentum analgeticum, quo omnes morbi impugnarentur, morositas, cura, timor, sollicitudines. Homo se experientiamque suam arte mutare posset. Omnia quae spectant ad vitam verē humanam - gaudium atque dolor, magnificum et horribile, pulchrum et foedum –

13 **obbrutescentia**, -ae f. orig. *Verflachung*.

homini obbrutescenti fierent in dies insipidiora, illepidiora, taediosiora. Advenissemus Aldi Huxley mundum bellulē novissimum¹⁴.

Post virtualem obbrutescentiam experientiae humanae sequeretur excessus virtualis, i.e. post medicamen *analgeticum* sumeretur *excitatorium*.

Si arte technicā fieri posset, ut in locum experientiae humanae supponeretur illusio, certē omnia transponerentur in mundum virtualem. Omnia essent ratione digitali aut – secundum ideam transhumanistarum – ratione digitali-neuronali programmabilia: volatus in universum imaginarius iuxta computatrum, quo fluenta cerebralia dirigerentur; iter virtuale in mare abyssale aut in aetatem neolithicam faciendum. Illusio simulata expers esset omnium limitum. Excessus atque obbrutescentia in mundo virtuali etiam possent inter se combinari: *lusus bellico* sine morte, *montium ascensione* sine altitudine, *desulturā umbellatā* sine profunditate.

At ubi nulla iam esset experientia realis, homo tamquam medicamento psychotropicō obnoxius cuperet doses ebriaminū sui virtualium etiam etiamque maiores sitienter desiderans proximam exstasin. Homo illusionibus digitalibus captus perderet et relationem ad realia et ad se ipsum. Itaque mutatione putativē perfectā experientiae humanae iterum amitteretur transcendentia.

Homo absolutus

Aetate transhumanā etiam bestiae haberentur pro organismis imperfectis, qui ad libitum essent mutandae et ab homine ad libitum essent adhibendae. Ergo etiam venatio ratione technicā posset perfici. Identificatio bestiarum ferarum¹⁵ omnis erroris expers fieret computatro, quod coniunctum esset cum cinematocamerā ferariā¹⁶; venator applicatione programmatis sui feras ferendi monitus telemoderamine efficeret iactum sclopetarium, cum permissio sibi data esset a computatro centrali. Fortasse iam istam fictionem mentis recusabis horripilans – sed ista certē non esset pessima machinatio dystopica, quae effici posset, si ars venandi technica perficeretur subtilitate quam maximā. Nam in locum totius venationis supponi etiam posset manipulatio genetica quam subtilissima: Proles bestiarum ferarum posset propagari secundum carnis utilitatem quam maximam, praeprogrammari cyclus vivendi ferarum geneticē, programmari feminarum mariumque proportio perfectē numerica.

Si homo iter in aetatem futuram faciens in locum humani supponeret transhumanum, naturalis transnaturale, ad summam utilitatem assequendam ipsa natura vehementius mutaretur, quam ut renosceretur. Quae reformaretur et ad utilitatem machinalem quam maximam redigeretur; homo transhumanus dominaretur in naturā et in naturam. Vita istius ***hominis absoluti*** privaretur omnibus suis dimensionibus: latitudine, profunditate, temporalitate. Mundus fieret quodammodo mons, cui deest vallis. In eo mundo esset voluptas sine dolore, potestas sine responsalitate – omnes res perderentur, quas complectitur relatio hominis ad limites suos. Homo recideret ad solum se ipsum et fieret – sensu verbi perverso – *mensura omnium rerum*.

14 cfr Aldous Huxley: *Brave new world*.

15 orig. *Ansprechen des Wildes*.

16 orig. *Wildkamera*

Fridericus Nietzsche sentit infirmitatem talis positionis existentialem, cum hominem mente captum inducit annuntiantem mortem Dei eoque finem omnis transcendentiae: „*Quo movemur? Abimusne ab omnibus solibus? Nonne semper ruimus? Et retro, in obliquum, prorsus, in omnes partes? Suntne adhuc superiora et inferiora? Nonne erramus per nihilum infinitum?*“

Ethica venatoria

Regioni remotae appropinquantes spectamus istam rem ingentem, ambiguam, praepotentem, illecebrosam necnon horrendam – utopicam simulque dystopicam. Quae animum nostrum allicit et percutit. Eadem si nostram vitam invaderet, frustra conaremur quamcumque normam ethicam statuere tamquam postem infixuri harenae mobili vagae incertaeque. Omnia essent possibilia, omnia essent statim accessibilia. Homo possideret se ipsum – simulque ipse se perderet. Viveret in mundo, qui expers esset omnis transcendentiae. Talis mundus esset summae inhumanitatis.

Hoc si intellegimus, habemus ansam ad vim venationis ethicam pernoscendam: Si existentia humana in nuce est relatio hominis ad limites suos, etiam ἥθος venandi in hac relatione conditum est. Haec opinio iam affirmatur experientiā venandi, quā anima venantis plurimum commovetur. Venatio est labor, patientia, suspensio, angor necnon gaudium. Quae est experientia rerum naturalium et creaturalium. Homo venans se refert ad naturam – et temporalitatem: imitatur maiores suos atavos, qui olim persequebantur mammuthum; necnon se refert ad finalitatem suam propriam, nam venatio inseparabiliter coniuncta est cum morte.

Venatio relatione ad limites suos est realis – et debet manere realis. Si venatio redigitur ad utilitatem et subtilitatem technicam quam optimam, eadem incipit dilabi et tabescere. Si a venatoribus instrumenta eorumque universalitas, i.e. res technica, non iam adhibentur adiumenti causā, sed potestatis, venatio mutatur in actum appropriandi inhumanum et innaturale. Talis actus improbus esset venatio machinalis ad summam subtilitatem technicam exculta et omnis conatus aliis naturam sibi subiciendi eiusque circuitūs programmandi, immo reprogrammandi. Etiam illa virtualitas mundi digitalis, quae est merē lusoria, in venatione non exstat – neque exstare potest: Qui agit in mundo reali, debet pati effectūs actionis suae. Hac re venator obligatur ad moderationem et responsalitatem quoad creaturam et naturam.

In omni scalā ethicā restant colorum transitūs et incertitudines; de multis quaestionibus singularibus erit disputandum multaque opiniones manebunt possibles, ibi potissimum, ubi agitur de instrumentis technicis permittendis. Sed in hac re maximē curandum non est *graduale*, sed *principiale* et *categoriale*: Si nos venatores experientiae rerum transcendentalium fundamentali permanebimus fideliter obligati, venatio nobis succedet feliciter etiam ipsā in modernā aetate incommodissimā. Nam hōc modo servabimus venationis proprietatem maximē genuinam. Haec hactenus. **DIXI.**



TRIADEM
VENATICAM

scripsit

NAEVIUS SARTORIUS

togâ vestivit

LEO LATINUS

DE VENATIONE LAGOPODIS SCOTICAE

QUARE ALII ALITER SENTIANT



**Ecce venator *lagôpodis Scoticae*¹ superbê tollens tropaeum suum venaticum.
Quo saepius aliqui venator iaculatur, eo carior fit venatio lagopodum.**

<https://www.morgenpost.de/vermischtes/article211568543/Warum-die-Moorhuhnjagd-in-Schottland-so-umstritten-ist.html>

Jochen Wittmann et Hendrik Bedder d.13. m.Aug. a.2017, h.17:15

Sclopetatio lagopodum in Regno Britanniae est disportus sumptuosissimus, de quo alii aliter sentiunt. Protectores bestiarum hoc rituale venaticum volunt prohibere.

Londinio ex urbe. Computatrum potes per totum annum iaculari in lagopodes. Id quod Natale Domini est anseribus et gallopavonibus, dies 12. m.Aug. est lagopodibus Scotiae veris atque genuinis. Nam die „*Duodecimâ Gloriosâ*“ incohatur tempus has aves venandi.

Venatio lagopodis Scoticae est disportus exquisitissimus, qui non fit nisi in Regno Britannico, quia in nullâ aliâ regione mundi nisi in Scotiae atque Angliae borealis uliginibus ericotosis² invenitur haec species avium, quae a zoologis appellatur *Lagôpus lagôpus scotica*. Venatio talium avium habetur pro sclopetatione totius

¹ *Lagôpus lagôpus scôtica* est nomen zoologicum, anglicum: *red grouse*; theodiscum: *Schottisches Moorhuhn*.

² *ūlīgō erīcētōsa* i.q. *Heidemoor*.

mundi subtilissimâ, quia lagopodes solent effugere celerrimê et sigmatim³ volantes. Praeterea haec avis carne est macrâ et sapidissimâ, quia se non nutrit nisi in ericeto, ubi crescunt herbae aromaticae. Itaque caupones Londinii nobilissimi inter se certant de praebitione carnis lagopodicae quam maturrimâ.

Protectores bestiarum volunt prohibere disportum⁴ cruentum.

De hac sclopetatione more traditâ alii aliter sentiunt. Ut omni anno, etiam hôc controversiae fiunt inter venatores et protectores bestiarum, qui hunc disportum, quem appellant „cruentum“, volunt prohibere. Sed haec controversia non sôlum spectat ad bestias protegendas. Lagôpus iam pridem facta est **symbolum pugnae classium** inter paucos homines **primores** et multos cives Britanniae reliquos.

Nam **Die „Duodecimâ Gloriosâ“** alliciuntur aristocratae et homines totius orbis terrarum deditissimi. Dispensatores aerarii speculativi⁵ sperant se sclopetatione lagopodis fructuosâ assecuturum esse gradum ordinis socialis altiore. Russi oligarchi emerunt castella scotica, ut acciperent cynegesium⁶ lagopodum.

Ex a.1831 dies istius sclopetationis incohanda est lège praescriptus. Venatores debent observare protocollum non scriptum, sed strictum. Qui veste venatoriâ recentissimâ indutus apparet, licet scidulam sibi affigat, cui inscriptum est verbum **NEOPLÛTUS**⁷. Vestes panni obliqui⁸ obligatoriae et iaccae panni cerati⁹ oportet videantur esse detritae. Etiam meliores sunt, si sunt odore acriore quam canis venaticus.

Par lagopodum sclopetatum constat 150 libris

Scilicet venationem lagopodum esse delectationem pretii non vilis. Iam ipsa armatura est sat pretiosa. Accedunt centum quinquaginta librae ad par lagopodum sclopetandum solvendae. Typica societas venatica octo sclopetatorum uno tantum die sclopetandi facile constat viginti milibus librarum, i.e. viginti duobus milibus euronum. Sed **Dominus Barney White Spinner**, qui est praepositus Unionis Ruralis, q.d. **Countryside Alliance**: „Venatione lagopodum“ inquit „augetur oeconomia totius regionis nostrae“. Deversoria, cauponulas, taxiraedarios – omnes foveri hac

3 *sigmātim (adv.) i.q. theod. Zickzack.

4 +disportus, -ūs m. Sport.

5 dispēnsātor aerārii speculātīvī angl. hedgefonds manager. cfr angl./theod. hedgefonds; fr. gestion alternative; hisp. fondo de cobertura; ital. fondo speculativo. Latinê: **aerārium speculātīvum**. cfr AAS 1967, p.282: fondo aerārium.

6 *cynēgesium, -ī n. gr. κυνηγέσιον est regio vel pars silvae, in quâ alicui licet venari. **Xenophon Atheniensis** (*ca. 426 a.Chr.n.) est celeberrimus auctor *Anabasis* et *Hellenicōn* et *Memorabilium Socratis* et *Cyrupaediae* et *Vectigalium* (graecē Πόροι ἡ περὶ προσόδων). Minus nōtus est eius **Cynegeticus**, quo agit de venatione, praesertim de canibus venaticis condocefaciendis. Laudatur Xenophon, quod in hōc opere subtiliter describit bestias a se ipso observatas. In Cynegetico Xenophonteo 6.4.36.7,11 invenitur verbum, q.e. τὸ κυνηγέσιον, quod significat *regionem venaticam*. cfr Franz Passow, Handwörterbuch der griechischen Sprache, Darmstadt, Wissenschaftliche Buchgesellschaft 1970, 1,2, p.1860, s.v.: „3) das Jagdrevier.“

7 *neoplūtus, -a, -um orig. neureich. cfr <https://mateo.uni-mannheim.de/camenaref/kirsch/kirsch1/p1/> Kirsch cornucopiae_p1_457_negvmo.html: „Neoplutus, i, m. der erst in kurzer Zeit reich geworden ist, da er zuvor arm war. Erasmus.“

8 vestēs pannī obliquī sive textūrae decussātae - orig. Tweedanžuge. cfr Tweed - **pannus obliquus** [Holzer, Societas Latina 1947, p.17] - **textūra decussāta** [Helfer, p.323, s.v. Köper]

9 iacca pannī cérātī orig. Wachstuchjacket.

venatione. Profecto per annum effectu venationis lagopodum regio lucrum accipit circiter 170 millones euronum et plus duo milia tenet locorum operandi. *Spinner* addit praeterea venationem lagopodum prodesse naturae protegenda. Protectionem regionum uliginosarum, in quibus venatores deminuant numerum bestiarum, quae praedentur lagopodes, quales sint vulpes, prodesse etiam aliis bestiis, e.g. vanellis¹⁰ et numeniis¹¹. Hoc argumentum venatorum confirmatur novâ disquisitione Universitatis Novi Castelli¹²: In 18 regionibus disquisitis augeri 76 species avium.

Osores venationis lagopodum eandem contendunt esse „obscaenam“.

At osores venationis lagopodum contendunt eiusdem incomoda praevalere: Ericeto hiemali sicco comburendo stratum ozontis detrimentum capere. Raras aves rapaces, qualis sit *Circus cyaneus*¹³, a venatoribus clam interfici, quia eaedem praedentur lagopodes. *Andreas Tyler*, director organisationis bestias protegendi, c.n. *Animal Aid*, hanc venationem condemnat a nobis interrogatus dicens eandem esse „**obscaenam atque primitivam**“. „*Graviter affligitur plaga sensibilis eo quod venatores primo copiam lagopodum augent, ut deinde quam plurimas sclopetando trucidant nullâ aliâ causâ nisi merâ voluptate necandi.*“

Scilicet hodie venatores non iam modum excedere. E contrario **Walsingham Dominus nobilis** fuit trucidator lagopodum omnium umquam industriosissimus: Qui **a.1888 uno tantum die sclopetavit 1070 (mille septuaginta) lagopodum**. VAE TIBI WALSINGHAME TRUCIDATOR CRUDELISSIME !



THOMAS DE GREY
6th LORD WALSINGHAM
(1861-1919)

10 +*vanellus*, -ī m. orig. Kiebitz.

11 **nūmēnius*, -ī m. orig. Brachvogel. <https://www.merriam-webster.com/dictionary/Numenius>: „New Latin, from Late Greek *noumēnios*, a bird, perhaps the curlew, from Greek *noumēnia*, *neomēnia* new moon, first of the month, from *ne-* + *mēn* month + *-ia*“.

12 **Novum Castellum** i.e. Newcastle.

13 *Circus cyaneus* orig. Kornweihe.



ECCE *LAGOPUS LAGOPUS SCOTICA* !



**DE VENATIONE
LAGOPODIS SCOTICAE
RETTULERUNT**

Jochen Wittmann & Hendrik Bedder

**LATINE REDDIDIT ET NOTULIS INSTRUXIT
LEO LATINUS**

<https://exxpress.at/frankreich-lehrerin-zeigt-muslimen-gemaelde-nun-fuerchtet-sie-um-ihr-leben/>

NEQUE ACTAEONI NEQUE DISCIPULIS LICET ASPECTARE DIANAM NUDAM ! PARENTES MUSLIMI MINANTUR MAGISTRAE FRANCOGALLAE

Schola Iacobi Cartier in Issou vico francogallico¹ sita in quoddam spatium temporis clausa est. Magistri discipulos non instituunt. Antea collega quaedam discipulis muslimicis monstraverat picturam saeculo decimo septimo confectam, quae spectat ad scaenam mythi Graecorum. In eadem depictae sunt nonnullae feminae nudae. Itaque parentes discipulorum muslimi reclamantes magistrae minati sunt.

Scripsit Stephanus Beig d.13. Dec. a.2023 h.15:54, Latinē redditit Leo Latinus.



„Diana et Actaeon“ (a.1606) est titulus huius imaginis a Iosepho Cesari Italo pictae: Videturne tibi haec pictura indecora, immo pornographica? Parentibus discipulorum muslimis talis visa est.

Fortunā *Actaeonis* herois Graeci multae generationes artificum ita inspirati sunt, ut crearent sua opera ingeniosa. Antiqui poetae, sculptores necnon pictores aetatis renascentiae et barocae hōc mytho excitati sunt, ut se praestarent artificiosissimos.

1 Vicus, q.d. Issou, circiter 45 chiliometris versus occidentem ab urbe Parisiorum. Situs est in ripā Sequanae fluminis dextrâ.



**Philotheori omnium nationum orbis terrarum quotannis visunt *Museum Luparae*
mediâ in urbe Parisiorum situm.**

Usque tempus hodiernum homines admirantur eorum articia. At oportet talis admiratio nunc finiatur. Sic putant saltim illi discipuli muslimici, qui picturâ Actaeonis aspectâ irâ sunt incensissimi.

Quaedam magistra Francogalla, cum adulescentibus hanc imaginem monstravisset, vexata est nuntiis odio plenis et minis vehementissimis. Magistra eiusque collegae interim timent, ne vitam amittant. Adulescentes reclamatores eorumque parentes credunt enim infame esse aspectare imaginem feminarum nudarum. Iisdem persuasum est talis picturae monstrationem esse blasphemiam phyleticam, i.e. eâdem laedi et illudi religionem suam phylamque.

Titianus et Rembrandtius creaverunt picturas mythi Actaeonis illustres.

Narratione mortis Actaeonis dramatici, cuius versio notissima scripta est ab Ovidio (43 a.Chr. - 17 p.Chr.), mirabiliter affecti sunt illustres pictores numerosi. Qui heros mythicus inter venationem quaerit locum tranquillum, ut a laboribus quiescat, et forte fortunâ incidit in Dianam deam venationis virginitatisque balneantem. Tum Diana, quam pudeat se spectari ab Actaeone nudam, invasorem ingratum permutat in cervum, qui postea dilaniatur a canibus suis venaticis propriis.



„Diana et Actaion“. A.1556-1559 hanc imaginem pinxit Titianus: Actaion (*a sinistris*) videtur cortinam rubram curiosê semovêre, ut aspectet Dianam (*a dextris*). At si picturam accuratius aspicimus, animadvertisimus eum cortinam non tangere, sed territum recedere.

Titianus (circiter a.1490-1576) hunc mythum tractavit duabus picturis („*Diana et Actaeon*“ et „*Mors Actaeonis*“) ex variis perspectivis, in quibus ingeniosê exhibuit, quibus modis curiositas et consternatio, aut pudor et ira inter se coniunctae essent. In claritudinem etiam pervenit **Rembrandtii** (1606-1696) pictura, c.t. „*Quomodo Diana se balneaverit unâ cum Actaeone et Callistone*“ . Alia imago huius scaenae mythicae a **Iosepho Cesari** (1568-1640) Italo pictore picta invenitur in Luparâ Parisiensi. Verisimile est discipulos muslimicos in vico francogallico habitantes in hôc museo nondum fuisse. Alioquin hanc picturam Cesarianam iam antea aspectavissent.

Magistri lamentantur de violentiâ augescente et de libertate sentiendi parum respectâ. Die Iovis quaedam magistra *Scholae Iacobi Cartier* monstravit hanc imaginem classi gradûs sexti.



IRA et PUDOR: In Titiani picturâ, c.t. „Mors Actaeonis“ (a.1559-1575) Diana dea irata (*a sinistris*) sagittam iaculatur in Actaeonem – an corrigit vestem delapsam, quam modo induit?

Praeter Actaeonem venatorem in eâ apparent Diana dea nuda eiusque nymphae item nudae. Multi discipuli putaverunt se hac monstratione a magistrâ consulo provocari. Nonnulli eorum oculos suos obtexerunt. Postea contenderunt magistram praeterea verba dixisse anti-islamica. Deinde parentes indignati reclamaverunt. Secretaria generalis syndicatûs magistrorum nationalis (*Unsa*) dixit eosdem magistram verbis laesisse necnon diffusisse crimina et diffamations minasque, quibus laederentur magistrale „*integritas corporalis atque psychica*“. Interim omnes magistri scholae timent de salute suâ. Ut demonstrarent se cum collegâ concordari, die Lunae ab institutione absentaverunt; schola mansit clausa.



Magistri queruntur, quod etiam parentes muslimi magis magisque recusant saecularitatem, quae in Francogallia solet magni aestimari.

Iam diu magistri de violentiâ discipulorum referunt; nunc epistulâ communi declaraverunt valores rei publicae, quales essent libertas sententiae dicendae et laicismus, a parentibus in dies minus respici. Sed eo, quod parentes tam vehementer vituperavissent huius picturae monstrationem, se limitem doloris tolerandi assecutos esse.

Ministro eruditionis fuisse agendum

Nonnulli discipuli dicuntur verba sua de dictis factisve magistrae putativê phyletisticis facta iam die Veneris revocavisse et se excusavisse. Minister eruditionis **Gabriel Attal** die Lunae ipse iter fecit in vicum *Issou*, ut animos civium placaret. Annuntiavit magistratûs animadversuros esse in discipulos refragantes. Praeterea scholam accepturam esse cooperatores additios ad discipulos curandos. Interim relationes augebantur de discipulis importunê se gerentibus. Magistri videntur non sine causâ timere. Certî iidem non obliti sunt ante duos demum menses Professorem gymnasii cuiusdam in urbe Atrebato (*Arras*) Francogalliae septentrionalis a tromocratâ interfectum esse. Praeterea casus **Samuelis Paty** etiam trans limites Francogalliae innotuit.



*Gabriel Attal minister eruditionis animos placare conatus
promisit se magistros adiuturum esse.*



Impetus cultro factus: Sicarius Allahu akbar clamans magistrum necavit.

Qui magister a.2020 in institutione suâ monstraverat gryllos Mahumeti, quo iram muslimorum et discipulorum et parentium effecit, ut in mediis socialibus exoreretur procella calumniosa². Paulo post *Samuel Paty* ante aedificium scholae interfectus est ab islamistâ radicali. *Atrebati* in urbe Francogalliae in scholâ cultro factus est impetus putativê islamisticus. Unus homo interfectus est, complures alii violati.

² **procella calumniōsa** (*mediorum socialium*), i.e. angl. *shitstorm*, cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Shitstorm>: „Shitstorm [„*Shitstorm*] (zusammengesetzt aus englisch *shit* „Scheiße“ und *storm* „Sturm“^[1]) bezeichnet im Deutschen das lawinenartige Auftreten negativer Kritik bis hin zur **Schmähkritik** im Rahmen von **sozialen Netzwerken**, **Blogs** oder Kommentarfunktionen von Internetseiten, wobei die Kritik im Grunde auch berechtigt sein kann. Er richtet sich gegen **Unternehmen**, Institutionen, Einzelpersonen oder in der Öffentlichkeit aktive Personengruppen wie etwa **Parteien**. Der **Duden** nahm das Wort 2013 auf und definiert einen Shitstorm als „**Sturm der Entrüstung in einem Kommunikationsmedium des Internets, der zum Teil mit beleidigenden Äußerungen einhergeht**“^[1] für den es im Deutschen keine unmittelbare Entsprechung gebe. Die Zeitung *The Guardian* erklärt den Begriff als „widespread and vociferous outrage expressed on the internet“ (weitverbreitete und lautstarke Empörung im Internet)



Islamista cultro necavit matrem parvuli: Isto homicidio Francogalli territi sunt.

Haec biocolytria pausâ meridianâ factâ revertit: brevi post erat mortua: Impetu cruento, quem attentator islamisticus cultro fecit in biocolytriam et matrem binorum liberorum, cives Parisienses vehemente territi sunt.



Francogallia honorat memoriam magistri ab islamistâ decapitati:
"Parisienses eum numquam obliviscentur".

Francogallia memoriter tenet **Samuelem Paty** magistrum historiae, qui anno ante interfectus est a viro in Tsetseniâ nato. **Iohannes Castex** minister primarius die Saturni develavit laminam memorialem; platea appellata est secundum nomen huius magistri.

**DE DIANA NUDA
IN SCHOLA MONSTRATA
MUSLIMIS INGRATISSIMA
RETTULIT
STEPHANUS BEIG
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

VERBIFICINA LEONINA

PAUCA VEHICULA HIEMALIA & ALIA



trahea nivālis



sclōdia, -ae f.
***rodella, -ae f. (Holzer)**



sclōdia gubernābilis
sclōdia *bobica



***nivitabula**, -ae f.
 *nivitabulō, -āre
 *nivitabulātor, -āris m.
 *nivitabulātrix, -icis m.

***rotitabula**, -ae f.
 *rotitabulō, -āre
 *rotitabulātor, -ōris m.
 *rotitabulātrīx, -īcis



***unditabula**, -ae f.
 *unditabulō, -āre
 *unditabulātor, -ōris m.
 *unditabulātrīx, -īcis m.

***vēlitabula**, -ae f.
 *vēlitabulō, -āre
 *vēlitabulātor, -ōris m.
 *vēlitabulātrīx, -īcis



+**scrīda**, -ae f. (Pekkanen) sive +**narta**, -ae f. (Hofmann, Lexicon universale)

***scrīdō**, -āre sive ***nartō**, -āre

***scrīdātor**, -ōris m. sive ***nartātor**, -ōris m.

***scrīdātrīx**, -īcis f. sive ***nartātrīx**, -īcis f.

***scrīdātōrius**, -a, -um sive ***nartātōrius**, -a, -um

***scrīdālis**, -e sive ***nartālis**, -e




+**alsulēgia glaciālis** sive **lūsus** ***hocceius glaciālis**



***equipila glaciālis**

+**zucanium glaciāle**



***patinātiō glaciālis artificiōsa**

»Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum **masculum et feminam**. Creavit eos benedixitque illis Deus et ait: „Crescite et multiplicamini et replete terram et subicite eam... Et factum est ita. Veditque Deus cuncta quae fecit et erant valde bona«. **VULGATA Genesis 1,27sq.; 30sq.**




+**patinus glaciālis**



lūsus *glaciscōpārius
*glaciscōpātiō, -ōnis f.

**PAUCA NOMINA VEHICULORUM HIEMALIUM
E MATERIIS ORBIS PICTI HEXAGLOTTI
EXCERPSIT
LEO LATINUS**

FABELLAE GRIMMIAE



Wilhelm Grimm (1786-1859) & Jakob Grimm (1785-1863)

115.

Sole claro rem patefactum iri

Vestifex socius per mundum iter faciebat artem suam exercens; at aliquando cum nullum munus inveniret suscipiendum, tam pauper fuit, ut ne unum quidem teruncium haberet ad cibos emendos. Tum in viâ cum incideret in Iudaeum, cogitans eum habere secum multum pecuniae, Deum ex animo expulit et cupidê in illum invectus: „*Da mihi*“ inquit „*pecuniam tuam aut morere!*“ - Tum Iudeus: „*Parce, obsecro*“ inquit „*vitae meae, nam vix ullam habeo pecuniam, non plus quam octo teruncios.*“ At vestifex: „*Tu quidem*“ inquit „*habes pecuniam, quam debes mihi dare!*“ magnâ cum violentiâ Iudeum tam diu mulcavit, dum is interiret. Tum vestifex socius Iudei sacculos arreptos perquisivit, sed nihil invénit nisi octo illos teruncios, quos sibi esse ille dixerat. Tum corpus Iudei sublatum abdidit post fruticem, et profectus est artem suam exercitus.

Longo itinere facto iuvenis in quadam urbe munus ab vestifice magistro oblatum suscepit. Cum in amorem incidisset magistri filiae pulchrae, eam in matrimonium duxit et maritus vixit hilariter.

Iam binis liberis natis sacer atque socrus vestificis mortui sunt, ut par coniugum iuvenum domum haberent integrum. Aliquo mâne maritus, cum cafeam ab uxore sibi ad mensam ante fenestram sedenti allatam in pocillum infunderet sorbillaturus, subito sol eandem irradians supra in pariete huc illuc coruscans figuræ lucis formabat circulares. Tum vestifex suspiciens: „*En vide*“ inquit, „*solem, qui vult rem patefacere nec potest!*“ Uxor autem obstupefacta: „*Heus, care marite, quidnam est*

hoc? Quid sentis his verbis?“ Vestifex autem respondit: „Hoc mihi non licet tibi dicere.“ At uxor: „Si me amas“ inquit, „debes mihi hanc rem patefacere“ maritoque iterum iterumque pollicita se ne ullo quidem umquam homini rem prodituram esse, non desinebat vestifem urgere, ut tandem panderet rem secretam. Tum is narravit se multis annis ante iter facientem miserrimum atque pauperrimum occidisse aliquem Iudeum, et illum summo metu mortis correptum verba dixisse: „Sol lucidus istam rem patefaciet!“ Nunc sol libenter voluit rem patefacere et in pariete coruscare et circulos fecisset, sed non potuit. Deinde vestifex uxorem urgenter oravit, ne cui proderet hanc rem, alioquin se moriturum esse: quod illa pollicita est; sed vestifex cum consedisset laborem exanclaturus, uxor iit ad amicam quandam eique rem enarravit sub eâ condicione, ne illa eandem ulli homini proderet; at tribus diebus nondum transactis tota iam urbs rem acceperat, et de vestifice in ius vocato sumptum est supplicium. Sic tamen factum est, ut sol clarus rem patefaceret.

EXPLICIT FABELLA

QUAE A FRATRIBUS GRIMMIIS

NARRATUR

DE RE SOLE CLARO PATEFACTÂ

titulus originalis:

Die klare Sonne bringt's an den Tag



116. **De luce caeruleâ.**

Aliquando rēgi fuit miles, qui ei per multos annos fideliter servierat, sed quia factus erat senex inutilis, non iam placuit; tum rex militem dimisit sine ullā mercede. Miles autem nescivit, quonam modo victum sibi compararet, tristis fuit, per totum diem migravit, vespere vēnit in silvam. Paulisper cum per silvam migrasset, subito conspexit lucem, cui appropinquavit et vēnit ad domunculam, quam vetula sagana inhabitabat. Miles eam rogavit, ut sibi permitteret in domunculā pernoctare et aliquantulum comedere atque bibere; sagana autem hoc primum recusavit; sed tandem eadem: „*Misericors*“ inquit, „*ut sum, te recipiam, sed bras de bebis mihi pâlâ fodere totum hortum meum.*“ Tum militi id pollicito permissum est, ut apud saganam pernoctaret. Postridie idem saganae palâ fodit hortum; quam operam finivit vespere. Nunc ea militem voluit amittere, sed is: „*Fatigatissimus*“ inquit, „*cum sim, rogo te, ut sinas me per alteram noctem hîc manere.*“ Sagana autem noluit, sed tandem concessit, dummodo miles postridie vehem ligni diffinderet in taxillos. Miles autem altero die lignum diffidit et vespere iterum defatigator erat quam ut abiret, ergo rogavit, ut etiam maneret nocte tertîâ; sed pro hac pernoctatione tertîâ debuit postridie ex puteo afferre lucem caeruleam. Tum sagana militem ad quendam puteum duxit eumque longo fune alligavit, quo in puteum demisit; et cum miles infra advenisset, invēnit lucem caeruleam, et significavit, ut sagana se sursum retraheret. Quae eum sursum retraxit, sed cum marginem assequeretur tam propinquam, ut saganae manum

posset porrigere, ea voluit lucem caeruleam habere, sed eâdem acceptâ militem depellere. At is cum saganae cogitata animadverteret malevola, dixit: „*Nequaquam! Lucem tibo non dabo caeruleam, antequam pedibus humi resistam.*“



Tum sagana irata virum cum luce depulit in puteum et abiit. Miles autem infra sedens in obscurâ uligine umidâ vidi finem vitae imminere, sed eius manui incidit fumisugium, quod cum esset adhuc semiplenum, vir cogitavit: „*Huius fumisugii tabacum reliquum utinam mihi sit voluptati quamvis ultimae.*“ Itaque tabacum accedit luce caeruleâ et coepit fumare. Cum fumus aliquantum circumvolabat, subito advénit virunculus niger et rogavit: „*Domine, quid mihi imperas?*“ - Tum miles: „*Quid a me*“ inquit, „*tibi imperandumst?*“ Virunculus autem dixit: „*Debeo tibi servire in omnibus rebus.*“ - „*Imprimis impero, ut adiuves me ex puteo escensurum*“ Tum virunculus niger militi dextram porrexit eumque sursum duxit et lucem caeruleam secum abstulerunt. Cum supra essent, miles: „*Nunc*“ inquit „*occidas mihi saganam vetulam.*“ Hôc facto virunculus militi patefecit thesauros necnon aurum saganae, quae miles umeris imposita secum abstulit. Deinde virunculus: „*Si*“ inquit „*me egebis, accendas fumisugium tuum luce caeruleâ.*“ - Tum miles in urbem iit, ut habitaret in deversorio optimo ibique vestimenta curavit pulchra sibi conficienda et conclave magnificê sibi instruendum. His rebus confectis virunculum arcessivit et: „*Rex*“ inquit „*me amissum sivit esurire munere perditio; nunc hodie vespere huc adduc mihi filiam régis, ut more ancillae mihi ministret et*

faciat quaecumque ego facere iubebo.“ - His auditis virunculus: „*Haec est res periculosa.*“

Sed illuc iit filiamque rēgis dormientem ex lecto eximens attulit militi; cui principissa rēgis debuit oboedire et facere quaecumque miles postulaverat; mâne autem ante clamorem galli virunculus niger eam reportavit.

Filia rēgis cum surrexisset, patri narravit: „*Hac nocte mira somniavi: mihi enim visa sum abducta fuisse ancilla cuiusdam militis, cui deberem ministrare, conclave scōpis everrere, caligas purgare.*“ - Tum rex: „*Pisa infunde sacculo tuo eumque perfora: si somnium verum fuerit, pisa excident et vestigium tui efficient in viâ stratâ.*“

Ita factum est ab eā, sed virunculus audiverat, quid rex filiae suasisset. Cum advesperasceret et miles virunculum iuberet iterum adducere filiam rēgis, is omnes vias urbis antea maiore copiā pisorum complevit, quam ut pauca pisa ex sacculo principissae decidentia efficerent vestigium et postridie homines per totum diem pisa colligerent. Filia rēgis iterum patri narravit, quae sibi accidissent; tum rex: „*In lecto si te collocabis, alterum calceum ne exuas eumque clam abdas in illum locum, quo portaberis.*“ - His auditis virunculus niger militi denuo filiam rēgis arcessendam cupienti dixit haec: „*Nunc te non iam adiuvare possum: infelix eris re patefactâ.*“ At miles perseveravit rem postulare. Tum respondit virunculus: „*Mâne primâ luce fac aufugiâs per portam, ubi primum illam abstulero.*“

Filia rēgis alterum calceum non exuit et apud militem sub lecto occultavit; postridie mâne, cum ad patrem esset reportata, is curavit, ut calceus ubique in urbe quaereretur, et nunc inventus est in mansione militis. Qui iam fugâ salutem petiverat, sed mox est captus et in carcerem coniectus. Ibidem nunc consēdit catenis vinctus; fugiens quam festinantissimē reliquerat optimas suas rescellulas¹, i.e. aurum lucemque caeruleam, neque quid relictum ei erat nisi nummus ducatus². Cum stabat pertristis ad fenestram carceris sui, subito conspexit sodalem; quem allocutus: „*Si mihi*“ inquit „*illum fasciculum apportaveris, quem relîqui in cauponâ positum, tibi dabo nummum ducatum.*“ Tum sodalis iit in cauponam et militi ducati pretio reportavit aurum lucemque caeruleam.

Captivus autem mox fumisugio accenso arcessivit virunculum nigrum; qui dixit: „*Noli timere, i ad iudicium intrepidus, et sine omnia fieri, sed tecum aufer lucem caeruleam.*“ Deinde interrogatus est eique, quamvis nil mali fecisset, dicta est sententia capitalis, ut laqueo suspenderetur. Cum educeretur, a rēge petivit veniam. „*Quam veniam?*“ rex interrogavit. „*Permittas, precor, ut iter faciens fumem fumisugium.*“ „*Liceat tibi*“ rex respondit, „*fumare tria fumisugia, si vis, sed noli*

¹ **rēscellula**, -ae f.: <https://uepo.de/2023/02/16/rescellula-groesstes-lateinwoerterbuch-der-welt-kuert-erstmals-lateinisches-wort-des-jahres/>: ...“Bei *rescellula* handelt es sich um eine seltene, doppelte Verkleinerungsform – ein Deminutiv eines Deminutivs – des Universalworts *res* („Sache, Ding“) und kann wörtlich als „Säckchen“, „kleines Dinglein“ o. ä. wiedergegeben werden“.

² **ducatus**, -ī m. i.q. *nummus quidam*, orig. *Dukaten*. cfr <http://ducange.enc.sorbonne.fr/ducatus>: „*4. DUCATUS*, appellata primum Moneta Ducatus Apuliæ, cusa a Rogerio Rege Siciliæ ann. 1240. Falco Beneventan.: Monetam suam introduxit, unam vero, cui Ducatus nomen imposuit. Occurrit in Chartis ann. 1181. 1186. apud Ughellum tom. 4. pag. 227. et tom. 8. pag. 98. 106. *Ducatus*, Monetæ Veneticæ aureæ species,..“

putare tibi a me vitam donatum iri“. Tum fumisugium e sacculo exemptum flammulâ caeruleâ accendit, ut mox accedat virunculus niger, cui miles dixit: „*Rogo, ut occîdas istos iudices falsos eorumque adlatos necnon regem disseca in tres partes.*“ Ergo virunculus coepit homines circumcirca stantes occidere; tum rex non potuit, quin obsecraret, ut sibi venia daretur, et ut vitam servaret sibi propriam, militi dedit regnum necnon filiam suam in matrimonium ducendam.

**EXPLICIT FABELLA
QUAE A FRATRIBUS GRIMMIIS
NARRATUR
DE LUCE CAERULEÂ**
titulus originalis:
Das blaue Licht

117.

De infante contumaci.¹

Aliquando infans fuit contumax neque ea facit quae mater voluit fieri. Itaque infans Caro Deo non placuit; qui curavit, ut idem in morbum incideret et a nullo medico posset sanari, et brevi prosterneretur in lectulo mortuario. Cum infans in sepulchrum esset demissus et humo esset obtectus, subito eius bracchiolum ex humo resurrexit, et sursum erectum est, et quandocumque bracchiolum deorsum reponebant et recenti humo obtegebant, hoc frustra faciebant, nam idem denuo resurgebat. Denique necesse fuit matrem ipsam sepulchrum accedere et bracchiolum ferulâ caedere, et caesum deorsum retractum est, ut infans sub terrâ stratus nunc demum quiesceret.

**EXPLICIT FABELLA
QUAE A FRATRIBUS GRIMMIIS
NARRATUR
DE INFANTE CONTUMACI**
titulus originalis:
Das eigensinnige Kind

¹ Interpres confitetur argumentum istius fabellae funestum sibi displicere seque non putare eandem esse dignam, quae infantibus recitetur vel narretur. Tamen hōc loco eandem attulit, ut esset testimonio paedagogiae illius aetatis, quā narrata et litteris mandata est. Iudicet lector ipse.

118.

De tribus medicastris campestribus.

Tres medicastri campestres² iter per mundum faciebant, se artem suam perdidicisse opinati venerunt in cauponam, ubi pernoctarent. Caupo ex iis quaesivit, unde venissent et quo ire vellent. *Se per mundum iter facere artem suam exercentes.* Tum caupo: „*Monstrate mihi*“ inquit, „*quid sciatis facere*“. Tum *primus* dixit se velle manum suam amputare et cras bene mâne arte suâ efficere, ut manus ad bracchium truncatum apposita accresceret; *alter* medicaster dixit se velle cor suum evellere et

² +**medicaster campestris** orig. *Feldscherer*, i.q. nomen obsoletum subadiuvae medicinalis, qui amputabat membra militum in proelio vulneratorum („*Feld*“, i.q. campus, spectat ad campum proelii, „*scheren*“, i.q. secare). Sensu latiore **medicaster** est medicus ineptus aut parum peritus aut fraudulentus, cfr **Achatius Morbachius** medicinae candidatus: Dialogus festivus, in quo **medicaster** quidam a Philosopho de malâ medendi ratione coram Praetore postulatur multiplicibus erroribus convincitur. Norimbergae a.1525.

cras bene mâne arte suâ curare, ut cor repositum revivisceret; *tertius* medicaster dixit se velle oculos suos effodere et cras bene mâne arte suâ efficere, ut repositi resanescerent. Medicastri autem habuerunt unguentum, quo allito quaecumque dissecta consanescebant, et laguncula, cui hoc inerat, semper secum ferebant.

Tum manum et cor et oculos e corporibus suis secuerunt, ut dixerant, easque partes corporis unâ posuerunt in catino, quem dederunt cauponi; caupo dedit eundem puellae, quae catinum in armario poneret et bene servaret. At puellae erat amasius clandestinus, qui erat miles; cum caupo et tres medicastri campestres omnesque homines domi dormirent, vînit miles esuriens. Deinde puella armarium aperuit, aliquem cibum exêmit illique attulit, sed armarium non clausit; consedit ad mensam iuxta amasium suum, ut inter se colloquerentur. Cum puella hilariter cum iuvene amato garriebat nullius mali conscientia, catta clam irrepsit in culinam, invênit armarium apertum, sumpsit manum et cor et oculos trium medicastrorum, et cum iis excurrit.

Cum miles cenavisset et puella vellet vasa escaria tollere et armarium claudere, vidit catinum, quem caupo sibi dederat servandum, vacuum esse. Tum territa dixit amasio: „*Eheu me miseram puellam! Manus est ablata, cor et oculi etiam absunt, vae mihi quid mihi accidet cras bene mâne!*“ Tum miles amasius: „*Quiesce, nam ego te adiuvabo! Da mihi cultrum acrem; furis cuiusdam, qui pendet ex patibulo, manum desecabo; utra manuum fuit?*“ - „*Dextra fuit.*“ - Deinde puella ei dedit cultrum acrem, et amasius accessit patibulum, peccatoris illius miseri desecuit manum dextram et attulit. Deinde cattam corripuit eiusque oculos effodit; nunc nihil iam defuit nisi cor. „*Nonne mactavistis, ut in hypogeo sit vobis caro porcina?*“ Tum puella: „*Mactavimus*“. - Miles autem: „*Hoc bene quadrat*“, descendit in hypogea, attulit cor porcinum deditque puellae. Quae has partes tres posuit in catino, quem imposuit armario, et cum amasius valedixisset, in lecto se collocavit.

Mâne cum medicastri surrexisserint, puellae dixerunt, ut afferret sibi catinum illum, cui impositi essent manus et cor et oculi.

Tum puella catinum ex armario attulit, et primus sibi apposuit manum furtificam, ei allevit unguentum suum, ut mox accresceret. Alter medicaster sumpsit oculos cattinos et allevit, ut consanescerent; tertius affixit cor porcinum. Caupo autem adstitit artem illorum admirans et dicens talia se numquam antea vidisse, se velle eos cuicunque homini praedicare atque commendare. Deinde medicastri pecuniam solverunt pro pernoctatione et profecti sunt.

At cum ambularent, is, qui erat corde porcino instructus, non manebat apud ceteros, sed, ubicumque erat angulus, eo currebat et ita odorabatur, ut faciunt porci. Ceteri volebant eum vestis margine arrepto retinere, sed hoc nihil proderat, ille se eripiebat et eo currebat, ubi iacebant quisquiliae sordidissimae.

Alter autem medicaster haud minus mirè se gerebat, oculos fricabat, et alteri dixit: „*Heus sodalis, quid est hoc? Hi oculi non sunt mei, nil prorsus video, ducat me aliquis, ne decidam*“.

Tum aegrê abierunt usque ad vesperum, quo venerunt ad alterum deversorium. Cum in cauponam intrarent, in angulo quodam sedebat dominus dives et nummos

numerabat. Is medicaster, qui erat instructus manu furtificâ, aliquoties micabat, denique, cum dominus se convertisset, manum cumulo nummorum impegit et volam eorum exēmit. Hôc viso alter: „*Heus sodalis*“, inquit, „*quid facis? Non licet furari, pudeat te!*“ - Tum ille: „*Heu mihi*“ inquit „*hoc non fit meâ culpâ! Manus mea palpitat, non possum, quin pecuniam corripiam, sive volo sive nolo.*“

Postea cubitum ierunt, et cum cubarent, tenebrae fuerunt obscurissimae. Subito e somno excitatus est ille, qui fuit oculis cattinis, ceteros excitavit, et: „*O fratres*“ inquit, „*suspicite – nonne videtis musculos albos, qui ibi circumcursitant?*“ - Duo ceteri surrexerunt, sed nihil viderunt. Tum ille: „*Non rectê me habeo, nostra non recuperavimus, oportet redeamus ad cauponem, is nos fraudavit.*“

Ergo postridie mâne illuc profecti sunt et caponi dixerunt se non recuperasse instrumenta sua recta, nam unum habere manum furtificam, alterum oculos cattinos, tertium habere cor porcinum. Deinde caupo dixit necessarium esse horum errorum culpam contractam esse a puellâ, et voluit illam vocare, sed puella cum illos venientes conspexisset, aufugerat per portulam posticam, nec umquam revertit. Tum tres medicastri postulaverunt, ut caupo sibi multum pecuniae daret, alioquin se curaturos esse, ut *gallus ruber super cauponam volaret*³; tum caupo iis dedit quae habuit, et invenire potuit, iisdemque acceptis medicastri profecti sunt. Quae iis suffecerunt ad reliquam vitam degendam; tamen medicastri maluerunt habere instrumenta sua vera.

**EXPLICIT FABELLA
QUAE A FRATRIBUS GRIMMIIS
NARRATUR
DE TRIBUS MEDICASTRIS CAMPESTRIBUS**
titulus originalis:

Die drei Feldscherer

**FABELLAS GRIMMIANAS
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS**

³ **Gallus ruber super caupōnam tuam volābit:** i.e. accendemus cauponam tuam.

CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

Lukian von Antiochia (auch Lukian von Samosata; * um 250 vermutlich in Samosata; † 7. Januar 312 in Nikomedia) war Theologe und Priester der Kirche von Antiochien. Er war Leiter der Antiochenischen Schule und wird als Märtyrer und Heiliger verehrt.

S A N C T V S L V C I A N V S A N T I O C H E N S I S
 S A C E R D O S T H E O L O G V S M A R T Y R
 O R E T P R O N O B I S

M M X X I V

Lukian genoss aufgrund seines asketischen Lebens und seiner Gelehrsamkeit allgemeines hohes Ansehen. Sowohl die Arianer als auch die Nestorianer beriefen sich auf ihn und seine Schule. Aus der Antiochenischen Schule gingen aber auch Johannes Chrysostomos, Diodorus und Theodor von Mopsuestia hervor.

Trotz seiner vermeintlichen oder tatsächlichen Heterodoxie bezeichnet Eusebius von Caesarea ihn in seiner Kirchengeschichte als Mann von ausnahmsloser Tugend; während des Höhepunktes des arianischen Konfliktes war seine Heiligkeit nicht weniger berühmt als sein Ansehen als Gelehrter.

Während der Christenverfolgung des römischen Kaisers Maximinus Daia wurde er verhaftet, in Nikomedia gefoltert und, nachdem er ein öffentliches Glaubensbekenntnis abgelegt hatte, dort zum Tod verurteilt. Lukian starb am 7. Januar 312 den Märtyrertod und soll in Helenopolis begraben worden sein, wo Konstantin der Große oder dessen Mutter Helena etwa im Jahre 327 eine Kirche über Lukians Grab errichteten. Bald nach seinem Tod entstand wohl ein Märtyrer-Kult um Lukian, später durch Konstantin und vor allem Eusebius von Nikomedia wohl auch teils gezielt gefördert wie instrumentalisiert. Seit Ende des 4. Jahrhunderts wird er als Heiliger verehrt.


Quelle: Wikipedia

Andrei Bely

(wiss. Transliteration Andrej Belyj; *belyj* bedeutet auf Deutsch *weiß, hell*)
eigentlich Boris Nikolajewitsch Bugajew

* 14. Oktober ^{jul.} / 26. Oktober ^{greg.} 1880 in Moskau
† 8. Januar 1934 in Moskau

Andrei Bely war ein russischer Dichter und Theoretiker des Symbolismus. Vladimir Nabokov hielt seinen Roman *Petersburg* für einen der vier größten Romane des 20. Jahrhunderts, und auch Ilja Ehrenburg nannte *Petersburg* „ein außerordentliches Ereignis in der Geschichte der russischen Prosa.“



BORIS NICOLAI FILIVS BUGAEV
ALIAS ANDREAS BELYI
ILLVSTRIS SCRIPTOR AC POETA RSSICVS
ANTE NONAGINTA ANNOS
DIE OCTAVO Ianvarii VITA CESSIT
AETATIS SVAE LIII

* * *

A ND RE AS C ANDIDVS
SCRIP TOR AC POETA ILLVSTRIS
TER TRIGINTA ANNIS ANTE VITA CESSIT

M M X X I V

Am 8. Januar vor 90 Jahren starb der berühmte russische Schriftsteller und Dichter A ND RE I B ELY,
eigentlich B ORIS NIKOLAJEWITSCH BUGAJEW, im Alter von 53 Jahren.

* * *

Der berühmte Schriftsteller und Dichter A ND RE I B ELY
(latinisiert: ANDREAS CANDIDUS) starb vor 90 Jahren.

ECHUS VOCES & EPISTULAE

»*Non pauca didici de statu Latinitatis ex commercio litterarum abs Te culto in formam libelli digesto. Est quasi axis nostri orbis Latini.*« - KAROLIS LYVENS Lituanus Vilnensis d.01. m.Ian. a.2024 h.01:00

5.1.2024 16:36

Christianus Laes omnibus sodalibus (etiam designatis) Academiae salutem plurimam!

Sit vobis novus annus felix, faustus, prosperusque – neque gaudiis Latinis destitutus. Quorum unum iam nunc vobis annuntiare mihi summo est gaudio. Ecce, iam exstat volumen hoc:

F. Deraedt, N. di Mico, C. Laes, L. Miraglia, D. Sacré (eds.), *Roma Latina, Roma Aeterna. Acta Conventus Academiae Latinitati Fovendae (Romae, 12-15.VI.2022)* 2 vol. (Marneffe, Melissa, 2023).

Editores singuli trina accipient exemplaria. Auctores sponte sua unum accipient exemplar. Attamen ii qui sunt Pascual, Iodice, Smolak, Dalla Pietà, Dragnev, Sajovic, Alvarez, Watanabe, Spataro, Rubini, Lima, Weise, von Albrecht rogantur ut quam primum inscriptionem cursualem mittant Franciscae (g.licoppe@skynet.be). Sodalibus, etiam designatis licet exemplar nullis expensis accipere, dummodo inscriptionem cursualem mittant Franciscae (g.licoppe@skynet.be). Ceterum, nobis pergratum erit si singuli vestrum enixe id conabimini ut saltem una bibliotheca academica opus hoc eximium sibi comparet. Quo facilius fiat, sufficit uti nexu hoc:

https://static1.squarespace.com/static/5bf95078f2e6b130dad843c9/t/657f5e430fd25f0996c729ea/1702846019893/Praeconium_b.pdf

De aliis inceptis mox plura! Hic nuntius mihi saltem maximi esse momenti videbatur.

9.1.2024 10:05

Christianus Nicolao, Roberto, Theoderico sodalibus optimis, salutem plurimam!

Tres estis, sodales carissimi, qui nomen dedistis pro orationibus Zoomianis, non iam vere menstruis. Gaudeo summopere – tales scholae sunt pergenda quandiu et oratores et auditores non desunt.

Licetne mihi proponere dies hos, semper hora 5 postmeridiana ...

Dicatis mihi, quaeso, quid sentiatis, atque titulum etiam mittatis!

Christianus vester

9.1.2024 11:19

Theodericus Christiano praesidi optumo s.d.p. Placet mihi quidem dies, placet hora. Titulus autem sit subobscurus hic, quo plures allicantur, curiosi quid sibi velit res: “DE PRIMIS”. Rem ipsam ut vobis iam aperiam: agitur de eis studiosis Lovaniensibus qui saec. XVII-XVIII, cum e certaminibus Facultatis Artium Lovaniensis primi discessissent, carminibus Latinis sunt celebrati. Non ego omnes illustrabo, sed paucos tantum attingam. Vale, valete quam optime!

14.1.2024 15:56

Christianus Nicolao suo salutem plurimam!

Potuerisne quam primum, sodes, mihi respondere de sessione tua zoomiana, quae nunc fieri debebit **die 2 mensis Martis?** Gratias tibi !! Iam alios debui recusare, ergo indica mihi. Dies iam numero **Christianus tuus**

14.1.2024 23:04

NICOLAUS CHRISTIANO SUO SAL.PL.

Gratias plurimas pro litteris tuis. Spero te novum annum faustis ominibus incohasse!

1. Libenter etiam **d.02. m.Mart.** faciam acroasin meam zoomianam. Fietne **horâ quintâ** postmeridianâ? Thēma a me tractabitur quod sequitur:

„NOVIS REBUS NOVA NOMINA ESSE IMPONENDA“ -

DE VERBIS LATINIS NOVANDIS

Loquar de normis verba Latina novandi et exempla afferam nominum modernae vitae cottidianaे Latinorum, quae mihi **Orbem Latinum Hexaglottum** componenti erant fingenda.

2. Permittas, care Christiane, ut addam hanc quaestiunculam: **Num nemini licet acroasin facere zoomianam nisi sodali Academiae Latinitati fovendae?** Nam cum mihi scripsisses esse quandam inopiam hominum qui parati essent ad tales acroasin faciendam, tibi attuli **novem nomina hominum Latinê doctorum, qui tale munus libenter suscepturi essent.** Sed tu respondisti me posse proximâ occasione eos commendare, ut cooptarentur in Academiam. Itaque ex te quaero num sodalitas sit condicio sine quâ non venia datur in sessione zoomianâ loquendi.

3. Die Papae Silvestri tibi misi **Epistulam Leoninam 285 (194 pp.).**

Accepistine eam?

Haec hactenus. Vale semper quam optimê. **Medullitus te salutat Nicolaus**

15. m.Ian. a.2024 h.11:17

Christianus Nicolao sive Leoni suo indefesso,

Statim, mi amice, titulum tuum inserui. Ita, oratio fiet hora quinta – mox accipies nuntium omnibus sodalibus destinatum. - Ceterum, fasciculum recentem accepi, pro quo gratias tibi ago ingentes, sicuti semper. De oratoribus sessionum – ita, praesertim velim sodales audire atque invitare, sed non est lex de hac re. Iam pro anno sequenti Sigrides Albert nomen dedit. Hi, quos tu indicasti, semper possunt me per nuntium electronicum adire, quidni? Tu interea, valeas pancratice,

Christianus tuus

15.1.2024 11:39

Nicolaus Christiano s.

Magnas gratias pro responso prompto. Haec raptim, mox plura.

Vale semper, **Nicolaus Leo Latinus**

d.15. m.Ian. a.2024 h.23:07

Christianus Laes omnibus sodalibus ALF salutem plurimam!

Adhuc in eo sumus, sodales carissimi, ut editionem actuum nostrorum celebremus – sed ecce, iam novus nuntius laetus!

Iterum habebuntur sessiones nostraes Zoomianae, quamquam non omnino menstruae. Ecce, programma:

2 mensis Martii: Nicolaus Gross: »*Novis rebus nova nomina esse imponenda*« -
De verbis Latinis novandis.

27 mensis Aprilis: Theodericus Sacré: *De primis*

25 mensis Maii: Robertus Spataro: *Narratio vitae Ioannis Bosco a Ioanni
 Baptista conscripta.*

Quae omnes fient hora quinta postmeridiana Bruxellensi. Ab epistulis noster Nicolaus nexum et invitationem mittet paucis diebus ante.

Ceterum, iam nunc mihi lubet indicare Sigridem nostram Albert nomen dedisse ad orationem Zoomianam habendam anno academico proximo. Cogitate, sodes, etiam de proximo conventiculo Romae (31 mensis Maii atque 1 mensis Iunii) cui iam octo oratores se verba prolatus esse promiserunt.

Vos omnes, interea, valeatis pancratice!

DAVID SHLOIME

1.1.2024 19:09

Dovid Shloime

Salve optime Nicolae Groß, doctissime vir Latinitatis vivae!

Ut vales? Spero te bene valere. Maxime doleo me nullas epistolas Leoninas iam diu accipere. Mihi dic, quaeso, quid acciderit. Te rogo, ut epistolas Leoninas ad me mittas. Nam epistolas Leoninas libenter lego. Annum MMXXIV felicem faustumque tibi exopto! Vale, quam optime! **David**

3.1.2024 18:31

NICOLAUS DAVIDI DOCTISSIMO SAL.PL.DIC. S.V.B.E.E.V.

Gratias magnas tibi refero pro votis anni ineuntis mihi benignê oblatis. Utinam etiam tibi tuisque annus MMXXIV quam optimê eveniat: Utinam prosperâ valetudine fruaris, opera tua privata atque academica succedant tibi felicissimê. - Gratissimum nobis feceris, si scripseris epistulas et symbolas quam numerosissimas et fructuosissimas. Libenter publicabimus nuntios Latinos. Scribe de rebus quascumque tibi in buccam venerint. Verba tuo semper exspectamus animis suspensis. Faciamus id, care David, quod legitur apud Isaiam: Butyrum et mel comedamus, ut sciamus reprobare malum et eligere bonum. Basilicê atque pancraticê vale et perge nobis favere. **Medullitus te salutat LEO LATINUS**

MAXIMILIANUS PULCHER MYSTAGOGUS AUGUSTANUS

d.02. m.Ian. a.2024 h.00:11

Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.

Novo anno cuncta felicia tibi et uxori tuae et tuis sint! Novum annum cum fiducia intremus! Spes omnes in melius convertamus! Ex litteris tuis te Epistulam Leoninam 285 iam edidisse cognovi. Sed eam aperire nondum possum, quia in tua pagina <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php> nexus, qui novissimam Epistulam Leoninam aperiat, adhuc deest. Oro te, ut paginae hunc nexum necessarium addas. Praeterea scire velim, utrum Christianus Laes acroases facientes nunc demum attribuerit an non. Decernendum mihi est, utrum id elaborem et efficiam an in aliud (quodcumque) incumbam. **Vale multum!**

d.03. m.Ian. a.2024 h.18:20

Nicolaus Maximiliano suo defensori Latinitatis maxime strenuo sal.pl.

Utinam annum faustis ominibus incohaveris! Doleo, quod Christianus Laes Praeses Academiae Latinitati fovendae me nondum certiore fecit, num acroases zoomianas editurus sit et quibus diebus et quibus hominibus veniam daturus esset legendi. Nuper a me monitus questus est se esse occupatissimum variis laboribus exanclandis. Mox denuo eum rogabo, ut hanc rem nobis patefaciat. Ceterum valdē miror, quod non acceperis EL 285 a me tibi missam. Nescio quando ALBINUS eandem situi interretiali Ephemeridos impositurus sit. Itaque denuo nunc conabor tibi hanc meam Leoninam novissimam mittere. Sororem tuam Margaritam saluta intimo ex corde. Utinam quam optimē reconvalescat. Utinam omnia tibi tuisque optimē eveniant! Valete basilicē atque pancraticē.

Medullitus te vosque salutat Nicolaus Leo Latinus.

d.04. m.Ian. a.2024 h.10:09

Maximilianus Nicolao s.

Veni: Ad paginam accessi. Vidi: Situi interretiali inest. Vidi: Aperui. **Vale, MAX.**

d.04. m.Ian. a.2024 h.13:57

Leo Latinus Mystagogo Augustano s.

Optimē, care Maximiliane! Tamen non intellego quare non accipere possis EL a me missam. Vale semper, **Nicolaus.**

JOANNES CAROLUS ROSSI ARCHITECTUS MEDIOLANENSIS

d.02. m.Ian. a.2024 h.11:05

Joannes Carolus Nicolao suo salutem!

Velim tibi in hunc annum optima quaeque, Nicolae, ex animo optare, qui tot tantosque labores pro Latinitate suscipis, ut quasi exsistas alter Hercules! Sed non sunt, forte fortuna, Sisyphaei labores isti, ut patet ex creberrimo epistolarum

commercio, quas editas in commentariis tuis: inde enim cognoscere licet quam multos, et eos perdoctos, non modo alloqui, sed etiam ad scribendum operamque navandam exhortari soleas. - Macte virtute, impigre amice! Hoc autem mecum cogito num quiescendi tempus tibi supersit, an forte praesto tibi sit automaton quoddam vigilans, quod tibi, noctu ut par est dormienti, sufficiat... Nisi vero cotidie navi veheris, quae lucem ipsam celerrime subsequens, temporis momenta extendit ac producit, ut Einsteinus certis argumentis probavit. - Scito autem me diuscule esse immoratum in epistolis, quas tu et Horatius Bologna de migrantibus mutuo dedistis. Uterque rationabiliter causas affert cur hinc advenae sint accipiendi, hinc repellendi. Fateor me magis in Horatii quam in tuam sententiam inclinare, sed tecum consentio affirmantem quaestionem graviorem esse, quam ut paucis absolvi possit. - Oportet autem hoc tibi discrimen significare inter duas factiones, quae opposita sentire videntur: hi enim sine ira ac studio de re disputare conantur, illi tam acerbo odio philetico incenduntur, ut numquam ad colloquium venire velint. Hi rationi obsecundant, illi stomacho. - Haec est causa cur ego magis his quam illis faveam: nolo enim rem cum barbaris habere (barbari sunt apud nos *Ligarii*, quibus simul et advenae et litterae et doctrinae sunt odio), quicum disputare supervacaneum, adeo sunt rudes et contumaces. Ceterum si esset per eos, omnes ad unum extraneos excidendos esse censerent, quanquam sensus suos dissimulare fuco videntur.

Hac in re non multo dissimiles sunt isti quum a Beniamino illo, quem habeo verum Israelitarum hostem, tum ab Hamas militibus, quos Palaestinorum veros habeo inimicos... - Tu recte ais non posse totam Africam intra Europae fines excipi. Recte monet Horatius miseris esse subveniendum. Quid ergo faciamus? Modus et ratio sunt adhibenda, ad quae nos Antiquitas informavit, sed de his alias.

Vale multum, vale basilice, vale papaliter...

NICOLAUS JOANNI CAROLO SUO OPTIMO SAL.PL.DIC.

Gratias plurimas, mi care sodalis, pro responso prompto et prolixo necnon pro votis in annum ineuntem benignè oblatis! Utinam hôc quoque anno feliciter vigeas et valeas et nos laetifices quam plurimis epistulis et symbolis Latinissimis. Haec brevissimè, proximam occasiunculam nactus libentissimè plura dicam de iis quae sapienter mihi scripsisti de modo disputandi et de migrationis immoderatae deque Beniamini Terribilis sceleribus infamissimis. Sed haec hactenus. Utinam novum annum faustis ominibus incohaveris. Utinam dies degas quam felicissimè atque Latinissimè. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

HORATIUS SILVESTER

d.31.m.Dec. a.2023 h.11:52

Horatius Leoni Latino s.p.d.

Gratias imprimis velim quam maximas tibi agere, quod ad me tuas luculentas epistulas certis temporibus mittis. Praeterea occasione data velim quoque tibi imo ex

corde exoptare annum bismillesimum vicesimum quartum faustum felicem beatum laetiferum iucundum et salutiferum.

Cura ut quam optime valeas

d.03. m.Ian. a.2024 h.22:09

NICOLAUS HORATIO SILVESTRO SAL.PL.DIC. S.V.B.E.E.V.

Gratias magnas, care Horati, tibi refero pro votis anni ineuntis mihi benignê oblatis. Utinam etiam tibi tuisque annus MMXXIV quam optimê eveniat: Utinam prosperâ valetudine fruaris, opera tua privata atque academica succedant tibi felicissimê. - Gratissimum nobis feceris, si scripseris epistulas et symbolas quam numerosissimas et fructuosissimas. Libenter publicabimus nuntios Latinos. Scribe de rebus quascumque tibi in buccam venerint. Verba tua semper exspectamus animis suspensis. **Medullitus te salutat LEO LATINUS**

ALEXIUS VESTIGIARIUS SIVE SLEDNIKOV

d.25. m.Dec. a.2023, h.22:04 +03:00

NICOLAUS LEO LATINUS ALEXIO SUO OPTIMO SAL.PL.DIC.

Quid fit, quid agitur, care sodalis? Iam longo ex tempore nihil a te et de te lègi scriptum. Esne immersus litteris Christianorum Latinis, de quibus scripturus es opus prolixum? De cantoribus deque *Ivano Rebroff* (1931-2008, qui russificavit nomen suum: "Rippert" - Costarius) tibi aliquid scripsi - sed nihil respondisti.

Ceterum certê bene novisti Academiam Latinitati Fovendae. Esne sodalis eiusdem? *Christianus Laes Praeses* noster queritur, quod usque nunc unus tantum sodalis nomen dedit zoomianae acroasi faciendae. Nonne tibi placet coram Academiâ nostrâ per visificium (*Bildschirm*) nobiscum communicare scientiam tuam Latinissimam? Themata certê tu habes plurima tractanda. Ipse paratus sum ad *Epistolographiam* tractandam; quae spectat ad omnes aetates Latinitatis. Quid censes? - Quidam auctor Britannus, cui nomen est *Simon Garfield*, scripsit opus de interitu artis epistulas scribendi a.2013 editum ("*To the Letter. A Journey through a Vanishing World*"). Ìdem Simon contendit propter epistoliorum electronicorum inanitatem nimis commodam veras epistulas argumentis et elocutione validas et pretiosas non iam scribi. Evidem Simoni contradicam. Nam his 50 ferê annis cum multas epistulas, praesertim Latinas, acceperim et scripserim, ausim dicere artem epistolas scribendi nondum interiisse; commoditate electronicâ nequaquam necessario oriri levitatem et inanitatem et foeditatem epistularum - ubi voluntas, ibi via. - Quid tibi videtur de hac thesi Garfieldianâ? Scribas mihi quam maturrimê, ut sciam, quomodo valeas. Utinam mox pergamus nos invicem ditificare litteris Latinis communicandis. Vale pancreaticê, mi care Alexi, et perge mihi favere. Medullitus te salutat

NICOLAUS LEO LATINUS

d.06. m.Ian. a.2024 h.09:40

Alexius D.ri suo Nicolao Groß S. Q. P. D.

Ignoscas rogo mihi qui tam diu tacuerim, vir Latinissime! Sempiternas tibi gratias ago atque habeo pro benevolentia tua. Ex animo tibi tuisque gratulor de festis Nativitatis Dominicae atque Novi anni nuper apud vos peractis, recta utamini valetudine et sitis a calamitatibus nostrae aetatis incolumes.

Etiam ob novissimam tibi Epistulam Leoninam magnas gratias! Rogas de Ioanne Rebroff musico Germano — iste hercle mihi ignotus, licet nonnulla carmina eius Russica audiverim. Sed tales cantilenae videntur apud nos paene oblitaie aliis carminibus florentibus. Ceterum hoc mihi scribenti simile exemplum succurrit, duo scilicet carmina Theodisce a nostratibus (musicorum grege «Megapolis») cantata, apud vos autem, ut puto, vix nota. Ecce: <https://www.youtube.com/watch?v=5BO8MgJk3fk>, <https://www.youtube.com/watch?v=6PXPVJ2Kumc>.

Kalendis Decembribus tabulario inopinanter relicto in studiorum universitatem remigravi, ut docerem Theodiscam et Latinam. In praesentia pergo librum scholasticum, cuius mentionem feci, quo opere omne tempus consumitur, ceteris Latinis (ipsis quoque epistulis, ut vides) eheu neglectis. Inde in praesenti de acroasi apud Academiam facienda dubito. **Tu autem cura, ut quam optime valeas!**

RADULFUS BONAEROPOLITANUS

d.05. m.Ian. a.2024 h.12:37

Care Leo Latine,

ut tibi mos, doctrinae plenissima est epistula. Carmen de nive placuit mirorque chronogrammatum varietatem. Etsi non scientista sum, parum lectionibus, quas Prasini et quidam globalistae de mutatione climatica nobis dare volunt, confido. Secundum eos orbis noster ante annum 2000 mori debuisset. Attamen utinam ne multa nix mihi sit, dum Germaniam, a die 21^a huius Ianuarii, visitabo. **Gratias plurimas, Radulfus**

p.s. Corrige, precor, errores meos.

d.05. m.Ian. a.2024 h.20:15

LEO LATINUS RADULFO SAL.PL.

Gratias plurimas, care Radulfe, pro hōc epistolio. Quantum attinet ad prophetas climatis apocalypticos, gaudeo te mihi assentiri. Genus humanum quamquam multas iam calamitates passum est, nondum extinctum est. Utinam d.21. tibi iter fiat in Germaniam quam optimum! Utinam annus novus MMXXIV tibi tuisque eveniat quam felicissimē! Pancraticē vale et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.07. m.Ian.a.2024 h.16:06

Radulfus Nicolao s.

Gratias, Nicolae amice,
ob tuam salutationem,
quae auspicio Tusco bono
iter ad Germanum próximum
mihi et uxori erit.

Vale, Radulfus.

d.11. m.Ian. a.2024 h.11:47

Care Leo Latine

Una quaestiuncula, precor: suntne in Germania qui vocantur “milleuristae”? Aliis saltem locis sic vocantur qui 1000 euronnes pro labore menstruo percipiunt. Sine ulla festinatione, quaestiunculam tibi refiero. Gratias, amicissime, **Radulfus**

CAROLUS (*Karolis*) LYVENS LITUANUS VILNENSIS

d.25. m.Nov. a.2023 h.21:09

NICOLAUS LEO LATINUS CAROLO LITUANO LATINISSIMO

SAL.PL.DIC. S.V.B.E.E.V.

Quid fit, quid agitur, care sodalis? Iam longo ex tempore nihil a te et de te lègi scriptum. Esne adhuc immersus laboribus dissertationis limandae? Promotio tua utinam eveniat felicissimè! - *Christianus Laes* Praeses noster queritur, quod usque nunc unus tantum sodalis nomen dedit zoomianae acroasi faciendae. Nonne tibi placet coram Academiâ nostrâ per visificium (Bildschirm) nobiscum communicare scientiam tuam Latinissimam? Themata certê tu habes plurima tractanda. Ipse paratus sum ad *Epistolographiam* tractandam; quae spectat ad omnes aetates Latinitatis. Quid censes? - Quidam auctor Britannus, cui nomen est *Simon Garfield*, scripsit opus de interitu artis epistulas scribendi a.2013 editum (*"To the Letter: A Journey through a Vanishing World"*). Îdem Simon contendit propter epistoliorum electronicorum inanitatem nimis commodam veras epistulas argumentis et elocutione validas et pretiosas non iam scribi. Evidem Simoni contradicam. Nam his 50 ferê annis cum multas epistulas, praesertim Latinas, acceperim et scripserim, ausim dicere artem epistolas scribendi nondum interiisse; commoditate electronicâ nequaquam necessario oriri levitatem et inanitatem et foeditatem epistularum - ubi voluntas, ibi via. Quid tibi videtur de hac thesi Garfieldianâ? Scribas mihi quam maturimè, ut sciam, quomodo valeas. Utinam mox pergamus nos invicem ditificare litteris Latinis communicandis. Vale pancraticê, mi care Carole, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **NICOLAUS LEO LATINUS**

d.01. m.Ian. a.2024 h.01:00

Carolus Nicolao suo salutem plurimam

Modo inspexi tuam epistulam sic dictam Leoninam – immo, est liber totus, volumen 194 paginarum! Tot paginas Latine exarasti! Non pauca didici de statu Latinitatis ex commercio litterarum abs Te culto in formam libelli digesto. Est quasi axis nostri orbis Latini. - Thesi Garfieldanae abs Te ad disputandum propositae prorsus consentio! Tu es pertinacissimus cultor artis epistulariae, qui vel etiam me, pigerrimum procrastinatorem, nonnumquam vales ad scriptionem excitare. Tamen tempora sunt alia. Recte Garfieldus scribit esse mutationem maximam factam, hanc artem obsoleuisse in maximā parte societatis nostrae. Nulla est necessitas epistulas scribendi, cum possumus telephonice et teleiconice (ut ita dicam) colloqui et colloquia ut ita dicam telegrammatica (ex multis telegrammatis constant) instituere, ubi singulae sententiae, immo singula verba eodem temporis momento quo scripta sunt ad alium allata animum ad respondendum statim excitant et omnem curam quā epistulae olim pollebant tollunt. Adde quod animus perpetuā diluvie rerum in interreti videndarum distrahitur; etiam quod multa de hominibus cognoscimus versantes prosopobiblum, instagramma et alia sic dicta retia socialia, quare iam fere non sunt alloquendi ut illos adesse sentiamus. His igitur temporibus, cum iam est neque animus neque necessitas epistulas scribendi, ars epistularia colitur consulto propter se ipsam. Et longe rarius. Nonne sicuti Latinitas? Non iam ulla necessitas ut Latine legamus vel scribamus, sed placet, est pulchrum de plurimis causis!

Haec quidem hactenus. Postea scribam plura et rescribam ad multa alia iucunda quae in epistulis ad me missis tractasti. Restat ut Tibi Tuisque faustum felicem fortunatum annum Domini MMXXIV exoptem! **Valeas quam optime!**

NICOLAUS CAROLO LITUANO RARISSIMO SAL.PL.DIC.

Epistulae meae séro respondisti, mi care Carole, sed non nimis séro, idque primâ horâ anni ineuntis, et argumentis gravibus. Itaque valdē laetor nuntio tuo accepto. Iam timueram, ne miles factus potius sclopeto utereris quam scribebas litteras Latinas. - Luculenter describis peculiaritates communicationis modernae, quae abhorrere videantur ab epistulis scribendis: plerisque hominibus quamvis uni ab altero remotissimis tam facile tamque commodum est inter se colloqui, ut colloquia in dies fiant inaniora et lapsantiora, iisdemque nullum insit argumentum grave et ponderosum, quod dignum sit ut memoriae mandetur. In viis publicis et pantopolii multos cottidie video homines cum sophophono suo artissimē coniunctos, qui colloquia habeant ferē infinita, sed potius blaterent quam loquantur. At nos, Carole carissime, non sumus pisces secundo flumine natantes (tales enim, ut bene scias, mortui sunt), sed nos, quia sumus humanistae, natamus adverso flumine - contra torrentem - ad fontes ipsissimos! -

Christianus Promotor tui scripsit te mense Februario defensurum esse thesin tuam. Utinam tibi omnia evadant quam felicissimē! Orbis Latinus urgenter eget iuvenibus

tam ingeniosis atque prudentibus, qualis tu es, qui contra transhumanismum quam fortissimē defendant studia humaniora! Pancraticē vale et perge mihi favere.

Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus

ANSGARIUS OSLOENSIS

d.10 m.Nov. a.2023 h.11:45

NICOLAUS ANSGARIO SUO OPTIMO SAL.PL.DIC. S.V.B.E.E.V.

Quid agis, Ansgari carissime? Utinam bene valeas! Evidem optimē valeo rebus lexicographicis immersus novam Epistulam Leoninam conscripturus. Desidero autem mentem tuam acerrimam bonarumque artium litterarumque nasum probatissimum. Necnon bene spero fore, ut tu, quo es acumine mentis eximio, diffindas nubes nebulasve praeconationis officialis densissimas, quibus cottidie circumvolvimus. Itaque rogo te, ut mihi scribas quid tibi videatur de duabus relationibus sequentibus, quas invēni in criticis commentariis, qui appellantur *Zona Grisea*. Statim videbis easdem vehementer discrepare a nuntiis, quos accipere solemus in solitis actis diurnis scriptos. Scribe mihi quidquid tibi in buccam venerint. Animo suspenso exspecto responsum tuum.

Vale semper pancraticē. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

<https://thegrayzone.com/2023/10/11/beheaded-israeli-babies-settler-wipe-out-palestinian/>

Relatiunculae, quibus narrantur infantes Israeliani a Hamasianis decapitati esse, sunt a gubernatione Israeliae mente fictae eo fine, ut homines intra et extra Israeliam crederent Hamasianos verē dignos esse, ut tractarentur tamquam *humanae bestiae* (sic *Joaw Galant*, minister defensionis). Tales relatiunculae in memoriam nobis revocant illa mendacia incubatoriorum ("Brutkastenlüge", "incubator allegations") et armorum destructionis massalis ("weapons of mass destruction"), quibus praetexendis gubernatio Civitatum Unitarum causam attulit belli Iraciani indicendi. BUTYRUM ET MEL COMEDITE UT SCIATIS REPROBARE MALUM ET ELIGERE BONUM !

d.11. m.Nov. a.2023 h.10:43

Nicolao Ansgarius salutem.

Ni conjectura omnino fallor, nam magis rebus divinis ac felinis quam humanis politicisque his diebus somniculosus vaco, bellum quod nunc temporis in Oriente proximo tam vehementer ardet, longe latius quam duellum Palestino-Israeliano patet. Caterva enim tromocratarum, quae Hamas vocatur, iuxta cum Persicis necnon sodalitate Fratrum Muslimorum, ut videtur, die septimo mensis Octobris, ausum tromocraticum saevissimum verisimiliter ad effectum duxerunt, non modo ut civitatem Israeliannam, quam prorsus deripere Islamistae cupiunt, labefactarent, vero etiam ut dissensionem domesticam in nationibus Occidentalibus commoverent. Quod optime consecuti esse videntur. Nonne grex tromocratarum Hamas maxime fovet et exitium populi Hebraici et divulgationem legis Islamicae in omnem orbem terrarum? In Francogallica, ut exemplum luculentum afferam, permulta consociationes Muslimae bello Palestino acriter, nec immerito, adversantur. Eaedem autem consociationes Rei publicae Francogallicae perniciem clam atque dolose moluntur.

Igitur, in universa Oriente pariter atque in terris Occidentalibus, discordiam citra modum periculosam concitant Islamistae cum asseclis suis, socialistis Europaeis ac Boreoamericanis. Vereor, ne calamitas Palestinensis tantum instrumentum sit ad dissidium maximum inducendum. Quantum ad crimina bellica attinet, non dubito quin exercitus Iudaicus permultis sceleribus impiis se obstrinxerit, non minus quam Hamas, patriae libertatis zelatores. Quae cum ita sint, tenebris crassioribus factis, pauci homines inveniuntur qui de pace agant. Pater quidam dominicus Francogallicus, cui nomen *Olivarius Thomas Venard*, qui iam multos annos, Hierosolimis, studio sacrae scripturae operam dat, dixit homines in Oriente iam oculos a cultu Dei habere remotissimos, ut nisi vi ac timore non stimularentur. Neque vero inconsiderate ac perperam locutus est coquus ille Hebraeus celeberrimus, ventre pinguissimo ac barbatus verusque cultor Dei, qui *Uru Buri* vocatur. Namque in caupona eius omnibus homunculis, scilicet Iudaicis, Muslimis, Christianis, et operare licet et famem cibis exquisitis explere. Haec calamo festinante, mox plura!

Divine te salutat Ansgarius

d.11. Nov. a.2023 h.19:47

NICOLAUS ANSGARIO SUO S.

ECCE MENDACIA GAZIANA STULTISSIMA A CATHARINA PATEFACTA -
CARE ANSGARI, QUID TIBI VIDETUR? **VALE, NIC.**

The Ten Dumbest Things We're Being Asked To Believe About Israel's War On Gaza

Caitlin Johnstone 07.11.2023 <https://www.caitlinjohnst.one/p/the-ten-dumbest-things-were-being>

d.12. m.Nov. a.2023 h.11:24

Nicolao Ansgarius salutem

Igitur, teste Catherina illa, machinationes ab Hebraeis callide adhibitae sunt, ut in Gaza gentis internectionem conficerent? Fortasse, sed minime verisimile est, cum iam res publica Israeliana maximum in periculum vocetur. Hoc enim bello acerbissimo Saracenorum unitas augeri videtur, ut non sine causa, ne contentio bellica in tota Oriente atque terris Occidentibus propagetur, multi homines iam timent. Etiam quaerendum est num pax cum Saracenis sit possibilis. In Europa, quoad sciām, nulli pueri infantesque Arabici necati sunt, nec meschitae incenduntur, quoniam apud nostrates nunc viget ius sacra libere colendi. Nihilo secius, Muslimi virgines mulieresque Europaeas turpiter stuprant, ecclesiis ac synagogis ignem iniciunt, etiam atque etiam tromocratae in togatos otiososque impetus faciunt, ad iniurias in Deo vindicandas, ut aiunt. Quo haec dira ac nefasta spectant? Quem fugit, si historias quidem strictim evolverit, quam acriter Muslimi et Christiani, saeculis volventibus, dimicaverint? Multi autem Europaei, maximo in errore versantes, desidia inertiaque citra modum ignavi, fatue censem, homunculos iam ad finem historiae ac saeculorum pervenisse. Inclinationes vero temporum atque momenta plane stultitiam eorum indicant. **Solitarie te salutat Ansgarius**

d.13. m.Nov. a.2023 h.15:32

Nicolaus Ansgario suo optimo.

Care amice, rectissimē dicis nobis Europaeis imminere hostilitatem et imperialismum immisericordem immigratorum islamistarum radicalium, qui ratione politicā Sinistroprasinorum insanissimā maximēque suicidali in terris nostris iam pridem tam vehementer superabundant, ut biocolytæ (qui malunt saevē vexare senes et aniculas et mulierculas gravidas contra quarantaenam pseudopandemicam et siphunculos venenatos pacificē sententiam suam manifestantes) inopes et ignavi et timidi seorsim maneant. Politici (qui ex 20 ferē annis tamquam tres simii illi illustres Iaponici dissimulaverunt se nihil videre, nihil audire ideoque nihil dicere, nuperrimē propter vehementes manifestationes immigratorum muslimicorum Gazae causā factas coeperunt dissimulare se esse de re omnino novā vehementer stupefactos seque nunc remedia adhibituros esse quam severissima atque efficacissima. Qualia remedia sunt? Remedia politica aut merē symbolica aut propriis civibus pacificis adversaria. Nova pracepta, quibus deminuatur libertas sententiam suam dicendi. Migratores islamomachi (*jihadists*) talibus non terrentur; sed denuo vexantur cives pacifici sententiam suam apertē dicentes...

Tamen, care Ansgari, in epistoliis praeteritis nō locutus sum de istis immissariis nobis Europaeis molestis et periculosis, sed de miserrimis civibus Gazensibus maximā ex parte innocentibus (infantibus et seniculis et aniculis et aegrotis) in nosocomiis et scholis versantibus, qui sub praetextu Hamasanos subterraneos venandi - coram mundo interretiali - ab Israelis bombarum deiectione immisericordi instigantur et discindantur et suffocantur...Iam nunc Israeliiani multo plures infantes (ca. 6000) bombis deiectis necaverunt quam Russi per 20 menses in totā Ucrainiā (in summā cives Gazenses aeroplanis bombiferis necati sunt usque nunc ca. 12.000, multo plures quam dicuntur necati esse cives Israeliiani ab Hamasanis).

De caede ab Hamasanis in Israeliā factā interim alii aliter referunt: Atrocitates videntur potius fraude cinematographicā quam reverā factae esse. Infantes decapitati non infuerunt realitati, sed fictioni mentium scaenothetarum huius rei. Etiam de constuprationibus alii aliter referunt. Cadavera non sunt exhibita - *reverentiae sive pietatis causā*.

Si rem ratione ieunā considerabis, omnino non credes gubernationem Israeliā officio secreto subtilissimo omnisque scrupuli experti necnon ratione technicā securitatis mundi optimā instructam nihil praescivisse de attentatione Hamasanā!

Ceterum duae obsides (anūs Israeliā interim liberatae) narraverunt se ab Hamasanis clementer tractatas esse. Hoc vehementer discrepat a narratiunculā officiali de *bestiis humanis* narratā.

Nonnulli sentiunt *Beniaminum Praesidem* vulpionem veteratorem vaferimum propriae genti exosum omnis scrupuli expertem nequaquam nunc velle tantummodo Hamasanos venari (ideoque - ut ipse dicit - nolentem efficere *damnum collaterale* etiam duodecim milia hominum innocentium necantem), sed velle Gazam totam

destruere sine ullo respectu incolarum; si qui Palaestini restiterint, velle eosdem trans limitem in Aegyptum in erenum Sinaiticum expellere...

Finem Israelianorum et Americanorum esse *novam Viam Sericeam* sternendam. Huius incepti audacissimi impedimentum praecipuum esse Palaestinos: itaque istos istorumque fines ex mappâ geographicâ esse radendos. Ergo genocidio Palaestinorum subesse finem oeconomicum: agi de re cruentissimâ quidem et sordidissimâ, sed lucrosissimâ... - Haec cum problemate nostro immigrationis superexabundantis non directê cohaerent, sed tantummodo indirectê. Tamen sensu altiore - ut scimus, omnia cohaerent cum omnibus - hōc sensu etiam saccus oryzâ completus, qui in Chinâ disploditur, habet - per millones gradûs intermedios - etiam quandam vim ad nos. - Quid censes de sententiâ hōc loco allatâ? Iste iuvenis rem haud male videtur explicare. Quid tibi videtur de GENOCIDIO GAZENSI AMERICANO-ISRAELIANO PROPTER NOVAM VIAM SERICEAM COMMITTENDO??? QUID TU SENTIS? Potestne fieri, ut audias hunc nuntium Tictocianum?

<https://www.tiktok.com/@citizens4abetterworld/video/7295090370759707937>

Vale semper, NICOLAUS LEO LATINUS

d.13. m.Nov. a.2023 h.17:49

Nicolao Ansgarius salutem

Salvus sis Nicolae. Certe potest fieri ut in hac belli contentione sit quaedam ratio bellandi occulta, quam furtim ac dolose excogitaverunt Boreoamericanî atque Hebrei, ut novam viam sericeam aperirent. Mirandum in modum hominum animos pecunia concitat. Sed in his quaestionibus non nisi probabilia coniectura licet persequi, cum relationem rerum Orientalium nobis non faciant exploratores emissarii, vero diurnarii et homunculi scioli in TikTok! Itaque verisimilitudinem, quae saepe a veritate longe distat, in his rebus bellicis scrutandis sequor. Alioquin, homines omnium rerum doctissimi, qui in actis diurnis mediisque socialibus de negotiis exteris tam profuse quam acute disserunt, a vero aversi esse solent, utpote qui motiva habeant improba. Quis enim ob hominum amorem vel veritatis gratia verba profert? Garruli ac ventosi sapientiam professi id genus sermones suos prolixos nimiumque ambiguos mendaciis calidis aspergunt atque homunciones credulos spe vana flagitiose lactant! Partim autem tibi assentior, nam non dubito quin res longe aliter se habeat quam primo obtutu in visificiis videtur. **Medullitus te salutat Ansgarius.**

d.18. m.Nov. a.2023 h.19:48

<https://www.youtube.com/watch?v=LnDsCvDC1vA> STAATSBESUCH: Denkwürdiges Treffen von Kanzler Scholz mit Recep Tayyip Erdogan

QUANTA CONTRARIETAS ! OLAUS OBLIVIOSUS INANILOGISTA IGNAVUS SERVUS AMERICAЕ ET ISRAELIAЕ HYPOCRITA STRAMENTI TRITURATOR ET ERDOGANUS (QUI A DIURNARIIS NOSTRIS APPELLARI SOLET TYRANNUS ET DICTATOR CRUDELIS) PRAESES PATRIAЕ SUAE DIGNUS ET HUMANUS ET SAPIENS, QUI OFFERT PROPOSITA ET ADIUMENTA HUMANA. LOQUITUR DE REBUS CONCRETIS: DE AEGROTIS CURANDIS, DE FRUMENTO MOLENDÔ, DE VIA TRANSPORTANDI EQS. CETERUM INTERPRES VIDETUR ESSE ANIMO EXCITATISSIMO. NONNE? QUID VOBIS

VIDETUR, AMICI? SCRIBITE MIHI QUIDQUID VOBIS IN BUCCAM
VENERIT! **Valete, LL.**

d.18. m.Nov. a.2023 h.20:54

Nicolao Ansgarius salutem

Turcimannus ille Erdogan sat vafer est, vero non magis pollet, quam Occidentalium debilitas sinit. Ratio autem oeconomica, ut exemplum afferam, qua regitur res Turcarum, mera est calamitas. Eodem modo cetera quae apud *Turchiones tunciter* aguntur. Ceteroquin, omnibus Occidentalibus tenendum est, quam acerrime Europae sint inimici Turci. Sed in deserto clamo, cum homunciones Europaei auricula infima sint moliores, ut animo libentissimo cuiusvis iugum accipient. Quod Germani sultanolum Erdogan, qui etiam atque etiam Germaniae vehementius insultavit, et Germanos modo suo scurrilissimo dictisque deliris aggressus est, ut hospitem honorabilissimum atque amicum admittunt, ad ingentes cachinnos omnes nasutos impiosque commovet! Saraceni et Turci de culpa Occidentalium profluenter blaterant, attamen quid sit cultus civilis Europaeus plane ignorant. Nonne Orientalistae ac philologi Germanici, Francogallici, Anglici, quam maxima pars islamistarum atque nugatorum eiusdem farinae, longe melius cognoscunt linguam Alcorani scriptorumque antiquitatis Arabicorum? Nunc vero vigent voces stridulae delirantium atque ignorantia supina potentiam adulantium! Haec breviter atque aliquantulum permixte et confuse. Nunc mihi completorium recitandum'st, postea animi aegritudo vino generosiore lenienda, antequam deis inferis nocturnisque animum lassum ac fluxum tradam. Cras enim mihi maturius vigilandum (hora quarta). Suavissimum tibi exopto noctem.

Oscitanter te salutat Ansgarius

d.18. m.Nov. a.2023 h.21:41

**LEO LATINUS ANSGARIO TURCOPHAGO MISISLAMISTAE
LATINISSIMO SAL.PL.DIC.**

O ANSGARI, MINIME SCIVERAM TE ESSE TURCOPHAGUM OSOREMQUE ORIENTALIUM ! EXHILAROR INVECTIVA TUA ANTI-ERDOGANIANA, QUAM LIBENTER INSERAM PROXIMAE EPISTULAE LEONINAE. OPORTET IN EPISTULIS LEONINIS ETIAM VIGEAT VEHEMENTIA DICENDI, NE LECTORES OBDORMISCANT! - GRATIAS INGENTES, CARISSIME EQUES CRUCIGER ET ORATOR IRACUNDISSIME. MEDULLITUS TE SALUTAT
NICOLAUS LEO LATINUS.

d.19. m.Nov.a.2023 h.14:35

Nicolao salutem Ansgarius

Confiteor, mihi nec sensus titillari ab lege islamica, nec animum praeceptis Mahometanis stimulari ad mirabilia fingenda. Sed osor ita minime sum rerum orientalium, ut potius permulta apud saracenos persicosque, quantum attinet ad litteras atque artes elegantiores, mihi corpusculum effeminatum luxuque languidum

non minus quam mentem trepidantem nimiumque rerum arcanarum curiosum deliciis affiant. Attamen, quod lex Islamica quodam modo provinciam cultus civilis in multis nationibus orientalibus occupavit, vera calamitas est, ut quidem sentio. Velut si Sacrae Inquisitionis Officium Ecclesiae Catholicae et in terris meridianis et septentrionalibus Europae omnia, quae ad animi oblectationem pertinet, cohibuisset. Nunc enim temporis, perpauci homunculi sunt in Syria vel Iraquia, qui voce fracta carmina Abu Nowas recitare possint. Et hoc est periculum maximi momenti!

Mellifluiter in umbra palmarum te salutat Ansgarius

d.22. m.Nov. a.2023 h.22:19

Nicolaus Leo Latinus Ansgario Osloensi humanissimo sal.pl.dic.

Care amice, novistine ***Doctorem Matthiam Gilbertum*** medicum Norvegum ex multis annis in urbe Gazâ operantem? Nonne est idem Matthias Norvegus homo verê humanus misericordiâ et audaciâ et fortitudine admirabili completus? An credis eundem esse vanum gloriatorem? An idem tibi videtur esse paeconator ideologiae sinistrale fanaticus? Nonne rectê et iustê accusat ingentem violentiam Israelianorum in Gazenses civiles innocentes adhibitam? Quid tibi videtur? Hi cives miserrimi nullam culpam contraxerunt illius attentationis d.7. m.Oct. factae. Apparet ***Beniaminum*** furciferum eiusque gubernationem velle Palaestinos partim necare partim ex Palaestinâ expellere in eremum Sinaiticum. Tibi omnino assentior monenti, ut nos Europaei impediamus immigrationem muslimorum illegitimam, ne perget fieri ***collisio cultuum civilium Huntingtoniana***. Sed conflictus Israeli-Palaestinus non est confundendus cum problematis nostris immigrationis illegalis. Quid sentis, care Ansgari? Exspecto responsum tuum animo suspenso. Vale semper pancraticê et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

https://no.wikipedia.org/wiki/Mads_Gilbert

<https://www.youtube.com/watch?v=a8SofGsRiWE>

Stop Israel, Stop United States: Norwegian Politician Mads Gilbert | Dawn News English

https://www.youtube.com/watch?v=NBA7_d-6sPQ

Conflict in Gaza | 'Israel is trying to dismantle the Palestinian civilian society': Dr Mads Gilbert

<https://www.youtube.com/watch?v=U4U-g9JloQA>

Worse Than Hell: Dr. Mads Gilbert Decries Israeli Military Raid on Al-Shifa Hospital in Gaza

d.23. m.Nov. a.2023 h.10:54

Nicolao Ansgarius salutem!

Semper, ut quidem sentio, medici, qui morbos feritosque curant, praesertim bello saeviente, sunt laudandi. Nec maximi momenti est cuius factionis sint. Nonne omnes saucii atque cruciatibus diris affecti quodam modo fratres sororesque sunt? Utrum medicus ille norvegicus sit fautor rabidus partium sinistrarum necne, exploratum non habeo. Veri autem simile est homuncionem talem, non modo civitatis Israelianae ruinam ex animi sententia sua cupere, vero etiam exitium terrarum Occidentalium. Nam homines id genus, ingenii mitis sed animo nimis credulo, opinari solent, omnia mala tantum Europaeorum culpa accidere. Et valde in errore versantur, nec altius homunculorum naturam inspexerunt. Ceterum, etiamsi assentiar iis, qui crimina exercitus Israeli vituperant, qua ratione hoc bellum nefastum ac perniciosum

restingui atque absolvi possit, plane ignoro. Hoc enim bellum, nisi fallor, multiplex est. Maxima cum iniuria Hebraeorum copiae in Palaestinorum fortunas invadunt et innocentes crudelissime vexant. Huc autem spectat stratagema bellicum tromocratarum Hamas et Persici. Quanto plures pueri mulierculaeque necantur, tanto ardentius, in nationibus Arabicis, et apud nostrates, odium excitatur, non tantum Hebraeorum vero quoque Occidentalium. Namque bellum religiosum cum Occidentalibus conflare conantur, et sat callide, mea quidem sententia, simul Persici et alii extremistae Islamici. Itaque, multis in terris Europaeis, huic bello acerbissimo, nec immerito, repugnant homines plus minusve bene morati. Sed eodem modo, sensim sine sensu, lex Islamica magis magisque in diem, imprimis in Francogallia, Germania, Anglia, nationibusque Septentrionalibus, maiorem vim habet ad animos ac sententias hominum moderandos. Bellum igitur Palaestinum a rebus Occidentalibus nullo modo disiungi potest. Diis inferis Islamistae Palaestinos, in loco hostiarum, immolant, quo felicius bellum adversus Occidentem geratur. Etenim vereor, ne hoc tantum initium inimicitiarum sit. Haec breviter et permiste, in grapheo *enom* versor, ad panem lucrandum. **Amicabiliter, ut semper, te salutat Ansgarius**

d.06. m.Ian. a.2024 h.14:13

Nicolao salutem Ansgarius

Gratias pro epistulis leoninis! quo gratius lectores tempus hiemale agemus, magnam praebes copiam narratiuncularum atque chronogrammatum, nec sine oratione luculenta contra latinitatis inimicos! Quantum attinet ad fabellam, cui titulus Barbarizas, haud scio, an auctor sit humanista quidam vel magister utriusque linguae, qui hunc apolum confecit ut discipuli pauxillum desidiosi de ignavia in linguis discendis admonerentur. Nisi omnino fallor, sermo purus ac latinissimus detegit scriptitatem quandam, qui graviter in auctoribus aureis evolvendis manu diurna nocturnaque laboravit. Nec argumentum fabellae humanistarum coetui alienum est, quibus imprimis curae fuerunt humanitas ac studium litterarum, ut vix homines iudicarent balbutientes impolitosque! Ceterum, sententiola illa, quae clausulae in loco profertur, tempestive commonemur, quemadmodum barbari atque agrestes sint omnes homines qui nulla nisi ipsorum lingua sermocinentur. Citra linguam Graecam, ut aiunt, nulla doctrina est. Attamen, cum omnes Romani litterati bilingues essent, ut optime litteras Graecas callerent, perpauci Graeci, quamvis ingeniosissimi, quoad sciam, alias sermones didicerunt. Fortasse in peritia duarum linguarum, quam tam vehementer quam solerter coluerunt Romani, iam adumbratur cultus civilis aetatis recentioris, ubi homunciones unius Musae devoti ut prodigia habentur. Etenim difficile sermo patrius penitus cognosci potest, nisi alias linguas attractaveris, nisi alias deos deasque veneraveris. fere idem argumentum, sed longe artificiosius tractavit Johannis Peter Hebel. Nam non in locis spectralibus cuiusdam pseudoantiquitatis versamur, verum Amstelodami, ubi per vias plateasque socius fabrilis Germanicus veritatem non frustra persequitur. Aliquantulum enim a fabella humanistica discrepat narratio Hebeliana. Quoniam, etiamsi omnia, quae

Amstelodami, per vias et in portu, attonitus oculisque errantibus observaverat, perperam intellexerit faber noster ambulator, ex multis erroribus suis denique ad animi tranquillitatem pervenit, qui vicissitudines fortunae ac rerum humanarum mutabilitatem dilucide perspexerit. Haec breviter et congeste, nam tempus premit!

Ambulatorie te salutat Ansgarius

NAEVIUS SARTORIUS

d.02.m.Nov. a.2023 h.16:18

Nicolaus Naevio s.

Nuntios crudeles mihi mittis! Ne quis istos spectet nisi antea plenâ lagoenâ amari stomachici haustâ! *Kebekula* tantummodo stulta est, sed *Ehringius* non sôlum stultus, sed etiam malevolus est. *Sahram* his septimanis iam saepius vituperavimus; sed iste *Ehringius* non est dignus, qui de eâ loquatur! Nullum argumentum validum contra eam attulit - quid curat Luna, si a cane allatratur? **Vale semper, NIC.**

d.02. m.Nov. a.2023 h.16:40

Naevius Nicolao s.

Revera, in interrete inveniri possunt res horribiles! Ista Kebekula excetra horribilis, iste Ehringius vir iniucundissimus est. Ceterum, heri disputavi cum uxore de Angela ista Uckermarckiana. Coniunx sine ulla ironia dixit se diligere excetram istam. BABAE! Haec vix credere potui! Quid dicam, quid faciam? Timeo, ne debeam domi in posterum, etiam in aeternum silere ... pacis causa. **Sceptice te salutat VN**

d.09.m.Nov. a.2023 h.12:09

Nicolaus Naevio s.

Iamne legisti *Iohannis Georgii* epistulam flagrantissimam ad *Fridericum* missam? Qua postulat, ut *Angela* excetra Uckermarckiana ex factione excludatur! Quid tibi videtur? **Vale semper, NIC.**

d.09. m.Nov. a.2023 h.19:13

Nicolaus Naevio s.

Care Naevi, utra harum mulierum prudentium rem melius explicat? Utra loquitur persuadibilius? Sahra quidem loquitur solitâ cum eloquentiâ et acumine mentis. Tamen vix credo eam problema immigrationis immoderatae solvere posse, cum considero qualibus cum sociabus condiderit novam suam 'prae'factionem. Nam eaedem mihi videntur esse potius multiculturalismi adoratrices quam immigrationis deminuendae monitrices. Itaque puto *Aliciâ* duce hoc problema potius solvi posse. Quid tu censes, optime Naevi? **Vale semper, medullitus te salutat NIC.**

d.09. m.Nov. a.2023 h.19:35

Naevius Nicolao s.

Care Nicolae, studebo respondere cras; hodie in negotio sum. Sed raptim haec dicere volo: Certe Alicia Alternativorum problemata immigrationis melius solvere potest quam Sahra et factio Sahrae condenda. Ut scis, ut iam saepe dicebam, diligo acumen, eloquentiam Sahrae, diligo eius facultatem analyses profundas faciendi, sed nescio an sit parata (aptaque) ad politicam realem.

Medullitus te salutat VN

d.09. m.Nov.a.2023 h.19:35

Nicolaus Naevio s.

Flugblatt-Affäre, Antisemitismus, Migration: Ricarda Lang und Hubert Aiwanger

BACCIBALLUM STULTISSIMUM - QUID POTEST, QUID SCIT, QUID BONI
ET UTILIS UMQUAM FECIT???

Vale semper, NIC.

d.09. m.Nov. a.2023 h.23:15

Naevius Nicolao s.

Nihil potest, nihil scit, solum blaterat et indignatur de adversariis politicis! **Vale, N.**

d.10. m.Nov. a.2023 h.10:03

Nicolaus Naevio s.

HABESNE NOVAM THEORIAM CONSPIRATIONIS? EAE QUAS EGO HABUERAM, INTERIM OMNES AD VERITATEM ADDUCTAE SUNT ! NUM CIVES ISRAELIANI INTERFECTI SUNT A MILITIBUS PATRIAE SUAE? NUM ATROCITATES HAMASIANORUM POTIUS SUNT A GUBERNATIONE ISRAELIAE FICTAE QUAM VERE FACTAE? QUID TIBI VIDETUR?
SCRIBAS, QUAESO, MIHI. VALE SEMPER LEO LATINUS

d.10. m.Nov. a.2023 h.11:07

Naevius Nicolao s.

Ut scis, speculari non volo. Multa possibilia sunt, haec etiam probabilia sunt. Nam bene scimus iam multos cives infelices perisse in bellis quibuscumque non actionibus exercitus inimici, sed exercitus sui. **Vale, N.**

d.11. m.Nov. a.2023 h.18:33

Nicolaus Naevio s.

Estne "Staatsräson" notio dubia? Ratio Macchiavelliana num quadrat ad democratiam? Quid tibi videtur de opinione *Gerhardi Fuldae*? **Vale semper, NIC.**

d.11. m.Nov. a.2023 h.20:31

Naevius Nicolao s.

Ille Fulda bene demonstrat verbum "Staasträson" (quod a illo Machiavellio inventum esse videtur)

- solum spectare ad **potestatem** rei publicae et gubernationis
- nequaquam spectare ad **moralitatem**

- non partem iuris nostri constitutionalis esse

Itaque usus verbi more excetrae Uckermarkianae et istius Habeccii non aptus est; uterque studet oratione argumenti dubii false re-definire significationem verbi originalis.

Vale, N.

d.11. m.Nov. a.2023 h.20:34

Naevius Nicolao s.

OPTIME! Uxor denuo heri statuit immigrationem neque problemata neque pericula efficere. O di immortales! **Vale semper, NIC.**

d.11.m.Nov. a.2023 h.22:55

Nicolaus Naevio s.

Qui credit in narratiunculas pseudopandemicas et anticovidianas, credit etiam immigrationem quam abundantissimam esse maximē salutarem, Putinum esse alterum Hitlerum, Selenskium et Beniaminum sincerē atque heroicē pugnare pro libertate nostrā, maxima pericula nobis imminentia esse catastropham climaticam et Alternativam Germaniae etc etc.etc. - O Sancta Simplicitas! Grimmelshausen scripsit *Simplicium Simplicissimum*, tu maritus expertus scribas *Simpliciam Simplicissimam*, ut tandem in litteraturā valeat aequitas genderistica. **Vale quam fortissimē, NIC.**

d.12. m.Nov. a.2023 h.08:35

Naevius Nicolao s.

Scribam! Uxor ea certe etiam dixit ut lacerret me, quia censi Germaniae, Italiae, Francogalliae et Graeciae naves militares mittendas esse in mare mediterraneum; eo modo, ut dixi, prohibeant migrantes illegales transire mare. Haec omnia ei non placent. **Vale bene VN**

d.13. m.Nov. a.2023 h.13:11

NICOLAUS NAEVIO SAL.PL.

En lege commentarium diurnarii Russi a *Thomā Röpero* in theodiscum conversum. - Quid tibi videtur de hac sententiā ex Imperio Putini Pessimi nobis allatā? Mihi quidem verbis huius diurnarii plus veritatis inesse videtur quam omnibus foliolis nostri *Preli Mendaciorum*. Haec raptim, mox certē plura. **NICOLAUS.**

d.13. m.Nov. a.2023 h.13:45

Naevius Nicolao s.

Imperium Putini habetur regnum mali ... in mediis nostris summae qualitatis. In aeternum, amen! Sed clare videmus illum diurnarium Russum, qui composuit textum a te allatum, summi sensus realitatis esse. Virtus illa paene omnino deest in Germania nostra. **Vale, N.**

d.13. m.Mov. a.2023 h.13:59

Nicolaus Naevio s.

Profecto diurnarii Russi - quantum concludo ex excerptis Röperianis - aequius et accuratius referunt quam nostri scriptorculi aulici Fluenti Praecipui. Quid censes de sententiâ hōc loco allatā? Iste iuvenis rem haud male videtur explicare.
 Quid tibi videtur de GENOCIDIO GAZENSI AMERICANO-ISRAELIANO PROPTER NOVAM VIAM SERICEAM COMMITTENDO??? QUID TU SENTIS?
 Potestne fieri, ut audias hunc nuntium Tictocianum? **Vale semper, NIC.**

d.13. m.Nov. a.2023 h.14:14

Naevius Nicolao s.

Ut scis, speculari non volo, sed certe iuvenis ille sententiam iucundam dicit. Otium ad examinandum argumenta eius me deficit, sed non ignoras me semper solere dicere:
 Multa possibilia sunt. **Vale, N.**

d.13.m.Nov. a.2023 h.14:23

Nicolaus Naevio s.

Idea quidem placet. Nisi est vera, haud male excogitata. Sed finis agendi, quem iuvenis opinatur habere Israelianos et Americanos sibi propositum, tam malus et cynicus et lucrativus est, ut videatur verisimilis. **Vale semper, NIC.**

d.13. m.Nov. a.2023 h.14:14

Naevius Nicolao s.

Assentior: "*finis tam malus et cynicus et lucrativus est, ut videatur verisimilis*" - Ceterum de finibus aliis cynicis lucrativisque: Iamne scis hos libros? ...**Vale, N.**

d.13. m.Nov. a.2023 h.23:14

Nicolaus Naevio s.

Gratias plurimas pro nuntiis lectu dignis. Iamne accepisti relationes de Alternativorum SYMPOSIO CORONARIO? - 2.CORONA-SYMPORIUM IM BUNDESTAG. - Quod factum est in Conventu Foederali diebus nudiustertiano hesternoque. Ceterum semper mihi placent verba *Danielis Ganser*. Sed doleo quod eius interrogatores sunt aliquatenus illepidi. **Vale semper, NIC.**

d.14. m.Nov. a.2023 h.07:47

Naevius Nicolao s.

De symposio coronario Alternativorum legi in *Septimana Mundana*. Quid narraverunt media nostra optimae qualitatis de ea re? Paulum, paululum, nihil? **Vale, N.**

d.15. m.Nov. a.2023 h.09:16

Naevius Nicolao s.

Scis me valde dubitare de natura et de actionibus iuridicis illius Impletoris. Exspectemus quid tractu temporis patefiat. **Vale, N.**

d.17. m.Nov. a.2023 h.11:19

Naevius Nicolao s.

Care Nicolae, ut scis, composui textum de venatione in mytho Graeco. Heri accepi paginas cum imaginibus ut componam subtitulos; in appendice picturam illius Dürer videre potes. <https://objektkatalog.gnm.de/wisski/navigate/9235/view> Facies Herculis similis facie artificis ipsius est, aves speciem - nota bene - Harpyiarum habent. Hoc me sane mirum esse videtur. Mos pingendi illius Dürer sane pervicax et liber est. Quid tibi videtur? **Vale semper VN**

d.18. m.Nov. a.2023 h.09:21

Naevius Nicolao s.

Principium legale hoc est: licet tibi, mihi, ei, diurnario cuicumque sententiam dicere, sed facta falsa stauere non licet. Si Iulianus *recte* statuit Talibanos accepisse pecuniam illam, ista prasina dicta Iuliani pati debet, etsi Iulianus rem illam valde vituperat et dicit eam summae insaniae esse. Argumentum illud - *sententia "Reichelts auf der Plattform „X“ sei „geeignet, das Vertrauen der Bevölkerung in die Arbeit der Bundesrepublik Deutschland bzw. des Bundesministeriums für wirtschaftliche Zusammenarbeit (BMZ) und deren Funktionsfähigkeit zu beeinträchtigen“* mihi dubiosum esse videtur. Eo modo res publica gubernatioque diurnarios criticos opprimere possent. - **Vale, N.**

d.18. m.Nov. a.2023 h.10:43

Nicolaus Naevio s.

<https://www.pi-news.net/2023/11/2-corona-symposium-der-afd-vortrag-von-prof-stefan-homburg/>

AUDITE QUANTAM INSANIAM NOS OMNES PASSI SIMUS !!!

NUM DIDICIMUS? QUOT HOMINES INTELLEGUNT SE ESSE DECEPTOS?
QUOT HOMUNCULI ADHUC AMBULANT MASCA INDUTI? QUOT HOMINES
ADHUC CUPIUNT PSEUDOVACCINA FATIFERA? NUM MUNDUS VULT
DECIPI? ERGO DECIPIATUR??? - **Vale semper, NIC.**

d.18. m.Nov. a.2023 h.11:02

Naevius Nicolao s.

Certe, certe. Decipi volunt. Uxor mea haec omnia numquam spectabit, numquam credet fraudem ingentem factam esse, de illo *Bhakdi* scire putat eum antisemitam esse. Putat *Alternativos* veritatem numquam dicere posse et velle. **Vale, N.**

d.18. m.Nov. a.2023 h.13:07

Naevius Nicolao s.

Modo audivi acroasin illius viri fortis (*Sucharit Bhakdi*), honesti, sed etiam simplicis. Valde timeo ne is mox denuo diffametur. **Vale, N.**

d.21. m.Nov. a.2023 h.12:03

Nicolaus Naevio ceterisque s.

QUID VOBIS VIDETUR DE SENTENTIA IOHANNULAE (*Jeanette*)? NUM DICIT VERA? AN STATUM GERMANIAE NIMIS MALEVOLE DESCRIBIT, REBUSQUE FUTURIS NIMIUM DIFFIDIT? NONNE EST PRAECONATRIX DEXTRAE PARTIS PERICULOSA? AN THEORETICA CONSPIRATIONIS? QUID VOS SENTITIS? SCRIBITE MIHI, QUIDQUID VOBIS IN BUCCAM VENERIT! **Valete, NIC.**

d.18. m.Nov. a.2023 h.13:07

Naevius Nicolao s.

Puto illam IOHANNULAM cum grano salis recte describere conditionem rei publicae. Oblita est commemorare *woceismum* et quasi-censuram sententiarum non- et antiprasinarum. **Vale, N.**

d.21.m.Nov. a.2023 h.13:24

NICOLAUS NAEVIO SUO S.

Gratias plurimas pro responso tuo prompto. Quod de socru tuâ heri mihi narrasti, dolorem vobiscum communico et socrui tuae ex animo exopto, ut morbus quam optimê curetur; nisi iam sanari potest, saltim ut mitius procedat et ut animus eius confirmetur adhortatione filiae generique sui refocillanti atque consolabili. - Ceterum de societate et vitâ et religione mirabiliter nos docet *Comitissa de Thurn et Taxis*, quacum *Silke Schröder* collocuta est. Meâ quidem sententiâ operae pretium est hoc colloquium audire atque spectare. Quid tibi videtur, care Naevi, de verbis Comitissae? (v. infra) - Utinam tu et socrus et uxor tua valeatis quam optimê! - **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.21. m.Nov. a.2023 h.14:06

Naevius Nicolao s.

Gratias magnas tibi ago; uxor eo tempore Tremoniae est. Medici adhuc examinant socrum. Cras fortasse plus sciemus. Speremus! De verbis Comitissae serius, ut spero; Ulmam properare debo... **Medullitus te etiam salutat VN**

d.22. m.Nov. a.2023 h.18:22

Nicolaus Naevio s.

QUIDQUID AGIS PRUDENTER AGAS ET RESPICE FINEM! MUNDUS VULT DECIPI - ERGO DECIPIATUR? DE PSEUDO VACCINATIONE SCELERATISSIMA <https://www.youtube.com/watch?v=XG0ZllPm08E> SKANDAL bei Corona-Symposium: Dr. Frank ENTLARVT Alles!

Vale semper, NIC.

d.22. m.Nov. a.2023 h.20:21

Naevius Nicolao s.

Ille Frank optime locutus est! Placet! **Vale, N.**

d.25.m.Nov. a.2023 h.15:29

Naevius Nicolao s.

Hic potes videre irritos summos Germaniae; specta viros istos: *Habeccium, Nuripurum* et senem intolerabilem Stuttgartensem. Suntne viri? Suntne effeminati?

Vale, N.

d.25. m.Nov. a.2023 h.17:49

Nicolaus Naevio suo s.

Habeccius et *Nuripurus* et ille Palaeo-Maoista in hac imagine bellulâ a te mihi missâ reverâ nihil sunt nisi res accessoriae sive secundariae; iisdem nihil licet nisi caninâ oboedientiâ verbis *Ricardae* annuere. - Omnibus praevalet divinâ suâ adipositate *Ricarda Prasina* suavissima atque pinguissima, moderatrix gaudens suillâ sapientiâ, verum bacciballum, quo pulchrior et pinguior nulla est sus scrofa in stabulo porcino rustici divitissimi. Prasini sunt dediti et subiecti *hyocratiae*, i.e. dominatui porcino.

Vale semper, porcino more te salutat grunniens Nicolaus. - P.S. Sed qualem denuntiationem passus sis a mulierculâ emancipatoriâ, scribas mihi, quaeso.

Vale, NIC.

d.26. m.Nov. a.2023 h.23:09

Naevius Nicolao s.

Annotatio optima. Perplacet! **Vale, N.**

d.29. m.Nov. a.2023 h.11:24

Nicolaus Naevio s.

Iohannam vidi et audivi: certê est mulier haud indocta neque imperita. Sed causae, quibus dicit se *Alternativam* reliquisse, mihi parum validae esse videntur.

Rixae et invidia et competitio immisericors certê in omnibus factionibus inveniuntur. Verisimile est Iohannam aliquid munuscum petitum et speratum non accepit. Fortasse nunc vult fieri particeps novae factionis conservativae, quam condituri sunt *Krall* et *Maassen*. Sed mihi displicet, quod istoc in statu Germaniae flebili et fatali conduntur novae factioes; aut Germania sanabitur unicâ factione verê oppositionali, i.e. *Alternativâ*, aut nullâ: Novâ factione conservativâ condendâ nihil fiet nisi disiunctio et debilitatio eorum, qui pugnant pro Germaniâ servandâ. Quid tibi videtur? **Vale semper, NIC.**

d.29. m.Nov. a.2023 h.12:02

Naevius Nicolao s.

Certe, si resistentia conservativa diripitur, nihil efficere poterit. in stationem ferriviariam properare debeo **Vale bene VN**

d.30. m.Nov. a.2023 h.15:52

Nicolaus Naevio s.

Stimmen aus der Ukraine: Welche europäischen Werte „verteidigt“ Selenskyj eigentlich? 30. November 2023 um 10:00
Ein Artikel von [Maxim Goldarb](#)

ISTE SCURRA QUOS VALORES EUROPAEOS "DEFENDIT"??? QUARE ISTI SCURRAE ARMA ET PECUNIAM MITTIMUS, USQUE DUM OECONOMIAM NOSTRAM DECOQUAMUS??? CUI BONO??? **Vale semper, NIC.**

d.30. m.Nov. a.2023 h.15:57

Naevius Nicolao s.

Quamobrem insania summa esset, si ista Ucraina accederet ad EU. **Vale, N.**

d.30. m.Nov. a.2023 h.19:18

<https://www.youtube.com/watch?v=NAFHzbz5ME0> Haditsch zieht Bilanz über Politik und Medien

QUOMODO SUB PRAETEXTU PANDEMIAE IMPUGNANDAE NOBIS ABLATA SIT LIBERTAS. **Vale semper, NIC.**

d.30. m.Nov. a.2023 h.19.23

Naevius Nicolao s.

Optime et clarissime loquitur, ille Martinus a nobis maxime dilectus! **Vale, N.**

d.01. m.Dec. a.2023 h.10:17

Nicolaus Naevio s.

<https://www.anti-spiegel.ru/2023/die-ganze-welt-lacht-ueber-sie/>

Omnis rident de Germaniâ.

Vale semper, NIC.

d.01. m.Dec. a.2023 h.10.23

Naevius Nicolao s.

Ita est. Rectissime rident de Germania prasina insanaque. **Vale, N.**

d. 08. m.Dec. a.2023 h.15:10

Nicolaus Naevio s.

<https://www.youtube.com/watch?v=7Ph7QnrpB2w> AfD-Chef Chrupalla mit spektakulären TV-Auftritt!
PROFESSORES TULERUNT REPULSAM VICTORIAM PEPPERIT PICTOR.

Vale semper, NIC.

d. 11. m.Dec. a.2023 h.21.38

Nicolaus Naevio s.

<https://www.youtube.com/watch?v=TEHXI36Xs5o> CORONA-IMPFPLICHT: Alena Buyx - „Können nicht vermeidbare Schäden zulassen, die zu Todesfällen führen“ - "...dass es darum geht, eine sehr sichere und wirksame Impfung zu machen, die einen selbst schützt, aber die eben gerade, wenn man besondere Verantwortung hat für verletzliche Menschen, die sich selbst nicht ganz vollständig schützen können, dass man da eben sich auf jeden Fall impfen lässt“

UTINAM ISTI HYPOCRITAE ET FRAUDATORES FURCIFERI PUNIANTUR
POENA GRAVISSIMA!!! UTINAM FULMEN ISTOS ICIAT CACANTES!!!

Vale, NIC.

d.11. m.Dec. a.2023 h.21.42

Naevius Nicolao s.

DE ISTA BUYX RADIO MÜNCHEN OPTME NARRAVIT:

<https://soundcloud.com/radiomuenchen/europaische-artzneimittelbehorde-ema-deckt-missverstandnis-auf>

De HYPOCRATIA MONACensi etiam auditu dignum:

<https://soundcloud.com/radiomuenchen/die-stadt-der-heuchler>

d.11.m.Dec. a.2023 h.21:43

Nicolaus Naevio s.

EN PSEUDOCHRISTIANODEMOCRATAS - PLAGIATORES ! PRIMO FURATI ERANT VERBA PRASINORUM, NUNC SURRIPUERUNT PROGRAMMA ALTERNATIVORUM !!! SERO SAPIUNT PHRYGES - EQUUS APERTUS EST, TROIA IAM PRIDEM ARDET!!! **Vale semper, NIC.**

d.11. m.Dec. a.2023 h.21.49

Naevius Nicolao s.

Rectissime - sero, sero sapiunt plagiatores incendiariique ... res publica nostra revera iam diu ardet. **Vale, N.**

d.11. m.Dec. a.2023 h.22:11

Nicolaus Naevio s.

ETIAM DE BÄRBOCCULAE CURSU HONORUM IAM MULTA LEGIMUS - QUID TIBI VIDETUR? - VERBA ALENÆ MIHI INTERDUM VIX SAPIENTIORA ESSE MIHI VIDENTUR QUAM VERBA ANNAELENÆ - QUID TIBI VIDETUR??? **Vale semper, NIC.**

d.11. m.Dec. a.2023 h.22:40

Naevius Nicolao s.

Puto *Helenam Pyxidem* prudentiorem esse *Bärbocculâ*, sed esse opportunistam maximam, ambitiosissimam. Cur ea praeses sit istius *Consilii Morum*, numquam intellegebam. Solum possum suspicari istam *Helenam* electam esse quia parata esse videbatur omnia consilia gubernationis pseudo-philosophice defendere. Ceterum, audeo statuere consilium istud et eius praeses solum erant id quod Theodisce *folium ficalnum* nominatur: eis erat defendenda politica ista coronaria sine ullo modo, sine fundamento scientiae verae. Etiam verba istius *Wolframii Gallinae* in emissione de *Pyxide* allata intolerabilia erant: Qui *vaccinatus* non est, remittat auxilium medicinum. Haec est contemptio hominis vera... **Vale, N.**

d.12. m.Dec. a.2023 h.03:07

Nicolaus Naevio s.

Care Naevi, quod dicis de folio ficulneo, rem acu tangere mihi videris.

Helena Pyxis iussa erat sub praetextu philosophiae moralis spectatoribus persuadere, ut sequerentur praecepta coronaria et subirent pseudovaccinationem fatiferam. Certum est eandem, cum culpam contraxerit gravem, dignam esse poenâ severâ. Ceterum suspicor eiusdem cursum honorum verbis testomiisque dubiis fucatum esse... Certê intelligentior est quam *Annalenula* (quis non?), sed verê ingeniosa verêque erudita mihi non videtur. Nullo modo studia humaniora amplexa est.

Eius qualitates praecipuae sunt quoddam frigus animi et inanitas et vanitas et arrogantia, quae mihi iniciunt taedium. **Vale semper, NIC.**

d.12. m.Dec. a.2023 h.07:52

Naevius Nicolao s.

Recte. Culpam moralem gravem contraxit, nunc omnia peccata sua negare et tegere studet. Revera nunc statuit nucleus problematis pandemiae esse *quandam pugnam generationum*. Verba ineptissima, protervissima! **Vale, N.**

d.14. m.Dec. a.2023 h.12:08

<https://jungefreiheit.de/politik/deutschland/2023/die-neuen-nazi-thesen-des-christian-wulff/>

Nicolaus Naevio s.

AB UXORE SUO SCORTILLO VAFERRIMO TER QUATERQUE DECEPTUS, DERUNCINATUS, EXMUCCATUS, INCOPRIATUS EST MISERRIMUS CHRISTIANUS WULFFIUS: SED QUIS ISTUM BABURRUM TAM VEHEMENTER OBCAECAVIT, UT DICERET TANTA DELIRAMENTA??? - O MISERA GERMANIA, QUAE IAM TER VEXATA SIS A PRAESIDIBUS STUPIDISSIMIS QUI SUNT WULFFIUS ET GAUCKIUS ET STEINMEIERUS. VAE NOBIS! - DELIRAT WULFFIUS - DELIRANT OMNES PRAESIDES NOSTRI... **Vale semper, N.**

d.14. m.Dec. a.2023 h.16:05

Naevius Nicolao s.

Dicta ea vix tolerabilia sunt. Iste *Wulffius* loquitur ut Prasinus verus. **Vale, N.**

d.14.Dec. a.2023 h.17:51

Nicolaus Naevio s.

<https://www.pi-news.net/2023/12/spd-abgeordnete-vergleicht-afd-mit-krankhafter-wucherung/>

Iamne audivisti istam excetram mente captam in subsellio posteriore sedentem? Incredibile auditu! Finge animo aliquem *Alternativum* isto more fascistico laedere gubernationem! Eandem comparare cum morbo! Statim prohiberetur factio *Alternativa* ab *Haldenwangio*! O tempora o mores! **Vale semper, NIC.**

17.12.2023 h.08:40

Nicolaus Naevio s.

AUDI RADIOPHONIAM CONTRARIAM ! AUDIATUR ET ALTERA PARS! BUTYRUM ET MEL COMEDE UT SCIAS REPROBARE MALUM ET ELIGERE BONUM! RECORDARE ILLA VERBA ILLUSTRISSIMA QUAE VOLTARIUS POETA ET PHILOSOPHUS FRANCOGALLUS DICITUR DIXISSE: "MI DOMINE, TIBI OMNINO NON ASSENTIOR, SED PRETIO VITAE MEAE SEMPER STUDEBO UT TIBI LICEAT DICERE SENTENTIAM TUAM".

<https://kontrafunk.radio/de/sendung-nachhoeren/politik-und-zeitgeschehen/die-sonntagsrunde/die-sonntagsrunde-mit-burkhard-mueller-ullrich-die-360-grad-wende-der-cdu>

d.17. m.Dec. a.2023 h.12:38

Naevius Nicolao s.

Eo tempore aegroto; contraxi virus. Studebo respondere serius.

Medullitus te salutat Naevius

d.16. m.Dec. a.2023 h.18:18

Nicolaus Naevio s.

https://twitter.com/Alice_Weidel?ref_src=twsrc%5Egoogle%7Ctwcamp%5Eserp%7Ctwgr%5Fauthor

Alice Weidel @Alice_Weidel -15. Dez. Abwegige Vorwürfe gegen meine Person: Meine Stellungnahme!

NIL TAM IMPROBUM TAMQUE SORDIDUM, QUIN ADHIBEATUR AD *ALTERNATIVAM GERMANIAE DIFFAMANDAM* ! - QUICUMQUE HOMO AEQUUS ET SANA MENTE PRAEDITUS PER QUINQUE TANTUM MINUTAS TEMPORIS *ALICIAM WEIDELIAM* MULIEREM DOCTISSIMAM PRUDENTISSLIMAM ELOQUENTISSLIMAM AUDIVERIT ARGUMENTANTEM, MINIME CREDET EAM UMQAM ULLO MODO EGUISSE METHODIS FRAUDULENTIS AD EXAMINA SUPERANDA ET OPERA EXAMINUM ET PROMOTIONIS SCRIBENDA. - COMPARATE ALICIAM CUM *ANNALENULA BÄRBOCCULA* - SI QUIDEM HOC FIERI POTEST! NONNE HAE MULIERES TANTO INTER SE DIFFERUNT QUANTO NOX ET DIES, IGNIS ET AQUA? AT ISTI DIFFAMATORES ATQUE DETRECTATORES MALEVOLENTISSLIMI SOLENT CALUMNIARI HOMINEM VEL PROBISSIMUM - SPERANTES SEMPER ALIQUID HAESURUM ESSE. **QUID VOBIS VIDETUR?**

d.17. m.Dec. a.2023 h.12:52

Naevius Nicolao s.

Alicia hoc praedixit - in colloquio cum *Stephano M!* **Vale, N.**

d.17. m.Dec. a.2023 h.13:34

Nicolaus Naevio s.

Utinam quam maturimē reconvalescas! Quo vīro infectus es? Num *Covidiano* illo longissimo? Haec brevissimē, mox certē plura. **Medullitus Nicolaus.**

d.18. m.Dec. a.2023 h.07:57

Naevius Nicolao s.

Corona non est, puto id *Rhino* vel *Adeno* esse. **Vale, N.**

d.20. m.Dec. a.2023 h.20:18

NICOLAUS NAEVIO SUO OPTIMO SAL.PL.DIC.

Care Naevi, accepi chartulam tuam nataliciam decorissimam solitā cum diligentia et studio pulchritudinis electam et perscriptam. Plurimas gratias refero tibi familiaeque tuae exoptans optima quaeque. Utinam Natale Domini celebremus hilariter, utinam Annus Initurus nobis omnibus fiat magis pacifica quam exiens! Medullitus te salutat
NICOLAUS LEO LATINUS

d.21. m.Dec. a.2023 h.08:26

Naevius Nicolao s.

Care Nicolae, iuvat me chartulam meam tibi placere. Imago illius operis tessellati [in Hagia Sophia], ut confiteri debo, videtur pauxillum atra esse. Sed, quaeso, spectes imaginem sub lumine lucernae - colores aurei lucebunt! Socrus heri secta est; in

sectione illa - medici nonnullas horas artem suam exercebant - nonnulla pericula sunt; adhuc de resultado nihil scimus, eo tempore solum scimus aegrotam vivere. Speremus! **Vale semper Naevius**

d.23. m.Dec. a.2023 h.11:12

NICOLAUS NAEVIO S.

<https://www.rote-karte-staatsfunk.de/>

Primo conspectu placet mihi haec consociatio. Insunt homines respectu digni (*Rolandus Tranquillus, Silke Schröder e.al.*). - Utinam haec res his hominibus probis quam optimē succedat! Nam expensae radiophonico-tevisoriae publico-iuridicae sunt molestissimae et iniustissimae: Vexamur istā lavatione cerebri mendacissimā et cogimur, ut pecuniam solvamus pro iisdem tormentis! Ceterum quid de valetudine miserae socrūs tuae? Sectionem chirurgicam quomodo superavit? Quid dicit medicus? Utinam quam optimē reconvalescat!

MEDULLITUS TE FAMILIAMQUE TUAM SALUTAT NICOLAUS.

d.23. m.Dec. a.2023 h.11.35

Naevius Nicolao s.

Gratias tibi ago; rectissime! Quod attinet at istam lavationem cerebri ille Julianius nuper emissionem sane bonam fecit: <https://www.youtube.com/watch?v=2eMmAU8WYZg>
Socrus sectionem superavit; medici magnas partes pancreatis removerunt et coniunxerunt partes intestinorum novo modo. Sane horribile! In anno novo cura cancri chemica (denuo horribile!) initium capiet. Eo tempore partes remotae histologice examinantur. Solum sperare possumus. Valde timeo ne vita eius mox finem habeat. **Vale semper Naevius**

d.31. m.Dec. a.2023 h.09:59

Naevius Nicolao suo s. pl.,

gratias summas, care amice, pro epistula tua novissima. Inspicere eam serius studebo. Uxor eo tempore in *Bochum* [nomen oppidi Latinum nescio]¹ est, adiuvans matrem suam aegrotantem. Problemata medica nova orta sunt ex inflammatione quadam; condicio non bona est. - Sed raptim dicere volo mihi chronogrammata in epistula tua perplacere; de hominibus multis praeclaris legi, velut de illo *Huxley*, de illa *Gordimer*, de illo *Breguet*, de illo *Preußler*, de multis ceteris, quos adoro, quorum opera diligo. - Utinam sit uxori tibique annus novus faustus, utinam insania politica oeconomicaque in patria nostra mox finem capiat! **Vale semper Naevius**

d.06. m.Ian. a.2024 h.11:09

Naevius Nicolao suo s. pl.,

Care amice, factione novā a *Sahra* condita nunc ille *Maassenius* factionem novam condere velle videtur. https://www.achgut.com/artikel/was_will_die_neue_maassen_krall_partei Apparet eum non diligere *Alternativos*, sed valde dubito an factio condenda talis nova saluti

¹ **Baucum**, -ī n. cfr [J. G. Th. Graesse, Orbis Latinus \(Dresdae\)](#): Schönfeld, 1861; 1909. [Brunsvici](#), 1972, 3 voll.) [1](#) [2](#) [3](#)
<https://dictzone.com/latein-deutsch-worterbuch/baucum>.

rei publicae sit. Habebimus mox factores multas minimas conservatas parvi momenti politici (etiam ille *Hörstel* condidit factionem "*Medium Novum*" paene omnino ignotam) omnes maxime studentes determinare programmata sua ab illo Alternativorum. Cui bono? Opinionis politicae summae conditorum? Cur compromissum facere non possunt, cur facere non volunt? Etsi res multae in factione Alternativorum vituperari possunt, nonne est salus patriae summum bonum? - Ille *Mai* bene descripts programma conservativum urgentissimum, de quo - ut audeo dicere - omnes conservativi facile consentire possunt: <https://www.tichyseinblick.de/meinungen/was-zu-tun-ist-sofortprogramm-buergerliche-regierung/> De factionibus novis conservativis minimis solum isti *Prasini, woceistae*, socialistae gaudebunt - velut ista *Komsomolza aeterna Saskia E*, velut iste *Robertus* nihil de oeconomia sciens, velut ista *Milla* stultissima saltans, velut omnes *Kathae* prasinae simplicissimae, velut omnes *super-woceistae* velut mulier ista: https://twitter.com/RomaMMukherjee?ref_src=twsr%5Egoogle%7Ctwcamp%5Eserp%7Ctwgr%5Eauthor

Quid sentis? Vale semper Naevius

d.07. m.Ian. a.2024 h.00:13

Nicolaus Naevio suo optimo sal. pl.

Intimo ex animo tibi assentior rem conservativam novis factiunculis condendis potius aliquid detrimenti capere quam emolumenti. Et *Sahra* et *Maaßenius* et *Krallius* *Alternativam* plus minusve contemnentes mihi videntur aliquatenus pusillanimi esse ideoque Germaniae magis nocere quam prodesse. -- Accepistine nuntios de *Habeccio* ab agricolis fugato? O quam flebilis comoedia! *Robertus* desperatus mare pontone pervagans tamquam famosus Batavus ille volans... Ceterum in praesenti Latinê reddo symbolas tuas venaticas, quae spectant ad mythos Graecorum, ad *Turgenievum* necnon ad aetatis modernae incommunitatem. Mox mittam tibi versiones meas, ut perlegas et imagunculis exornes. Haec hactenus, mox plura. **Vale semper basilice.**

Medullitus NIC.

d.07. m.Ian. a.2024 h.14:55

Naevius Nicolao suo s. pl.

De *Roberto* - oeconomico maximo aetatum omnium - salutem in fuga petente iam legi et audivi; ille *Iulianus* de ea re narravit: <https://www.youtube.com/watch?v=E3Uwmx3j63I> Etiam - ni fallor, primum - de Alternativis locutus est et imprimis illum *Ursum* sane iniuste vituperavit comparans eum cum monstro aeterno quodam <https://www.youtube.com/watch?v=-62iYPX3PPw> Alternativos non diligere debet, *Ursum* non diligere debet - de Urso et programmate eius romantico etiam dubito -, sed comparatio ista (quasi prasina) mihi ineptissima esse videtur. - Nuntians te eo tempore symbolas venaticas meas Latine reddere me in summam exspectationem adducis... **Medullitus te salutat Naevius**

d.17. m.Ian. a.2024 h.23:29

Nicolaus Naevio s.

Cras tibi mittam EL 286, cui inest TRIAS VENATICA. Utinam tibi placeat. Quid tibi videtur de reclamatione (an seditione?) agricolarum? Cras *ultimatum* (condicio extrema) finietur. Gubernatio usque nunc nihil novi praebuit. Quid exspectas? **Vale semper, NIC.**

d.18. m.Ian. a.2024 h.07:19

Naevius Nicolao suo s. pl.

Studebo respondere serius; Agricolis certe est potestas quaedam. Fortasse istud semaphorum (AMPEL) mox evertent. **Vale, N.**

d.18. m.Ian. a.2024 h.11:32

NICOLAUS NAEVIO S.

Sanê difficile est audire istam *Hastae* blaterationem stupidissimam! - Neque *Martinus* ille *Austriacus* neque *Ursus Thuringensis* sunt nacistae - istae sunt diffamations stupidissimae! Ubi sunt argumenta, ubi sunt indicia, quibus contenditur Alternativos esse nacistas? Nulla sunt! Nihil affertur nisi argutiae verborumque discriptiones ridiculae! Verba et notiones mendacissimê falsantur et adhibentur falsissimê: *remigratio* n o n est *expulsio* neque est *deportatio*; omnium diffamationum et calumniarum summitas est allusio ad illam *Conferentiam Lacûs Natricum*. Incredibile !!! - *Robinus* - en hypocritam odiosissimam! - gratulatur isti porco lutulento! Illud colloquium *Martini Austriaci* minimê fuit secretum, sed privatum. Infamissimum et illegitimum fuit methodis officii secretorum illud colloquium observare. - Iste *Correctivaster* est mucosus delator sordidissimus, denuntiator, diffamator, stasianus, vomitivum perfectum, bufo taediosissimus. Quod attinet ad *Sahram*, spe sum deceptissimus. Ea primo sinit se adhibere vile instrumentum diffamationis et denuntiationis pravissimae, immo nunc ab istis furciferis improbissimis in angustias impulsa cogitur, ut se excuset, quod nimium appropinquavisset extremistae! Postea aliquanto sapientius loquitur - sed quid auditorum inhaerebit memoriae? Scio nunc, quo fine laudetur Sahrae nova factio: sperant isti ab ea Alternativam deminutum iri. NON POSSUM TANTUM CIBORUM COMEDERE, QUANTUM VOLO VOMERE !!! Vale semper, **NIC.**

d.18.m.Ian. a.2024 h.18:40

Naevius Nicolao suo s. pl.

Iste *Hasta*, iste *Correctivaster*, iste *Robinus* interrogant *Sahram* ut ream; vix tolerabilis est modus talis. Isti viri insinceri etiam studebant incusare *Sahram* culpae contagionis. Odiose! Primum video *Sahram* esse in angustiis, iterum iterumque verecunde ridentem ut puellam iuvenem. - Impetibus interrogatorum finitis ea recte dixit multum interesse inter se et *Aliciam* quod attinet ad locum oeconomicum, recte descriptsit opinionem politicam *Aliciae*, etiam bene statuit disputationem publicam de Alternativa sane hystericalm esse. **Vale semper VN**



XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX
LEO LATINUS PRO OMNIBUS EPISTULIS LATINIS GRATIAS AGIT INEFFABILES !
XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

EPISTULA CHRISTIANI LAES: DE CERTAMINE QUIRINALI



**PROF. DR. CHRISTIANUS LAES
ANTVERPIENSIS ET MAMUCIENSIS**

Christianus Laes praeses omnibus sodalibus ALF salutem plurimam.

Conventiculo ALF feliciter peracto, licet mihi vobis annuntiare rem alicuius momenti, de qua inter consiliarios sumus collocuti.

Nemo enim nostrum ignorat certamina Latina, quae nunc exstant, ad carmina vel fabulas narrationesve fictas plerumque spectare eodemque tempore neglegere symbolas et commentationes doctas, quas olim studiosi saepe Latino sermone pangebant. Omnibus patet quaquaversus quantopere homines docti ac praesertim philologi, exoleta consuetudine scribendi Latine, munere suopte se abdicarint.

Nobis est persuasum Latinam linguam commercia inter doctos, praecipue inter eos, qui disciplinis philologis, historicis archaeologicisve student, hodierno quoque tempore fovere posse. Commentarios academicos exarare sermone naturali et communi scrutatoribus rerum classicarum inceptum est laude dignum, cum nationibus cunctis ostendat pro imperio linguae Anglicae alterum sermonem ‘universalem’ substitui posse.

Qua de causa cogitavimus de certamine ab Academia instituendo, ut optima symbola Latine scripta et in commentariis periodicis divulgata praemio honestetur. Certaminis praeconium documento subiuncto inest. Propositum primum huius certaminis erit suadere studiosis, praesertim

iuvenibus, ut investigationes doctas Latine publici iuris faciant. Ne plura scribam: sint Maecenates, non deerunt Marones...

Praesertim sodali nostro Marco Cristina gratias ago, qui hoc propositum summo studio atque ardore excogitavit, propagavit, defendit.
Valeatis pancratice atque Latinitatem fovere pergatis

Prof. Dr. Christian Laes

Departement Geschiedenis/ Department of History
Universiteit Antwerpen/ University of Antwerp
Stadscampus S.SJ.303-Sint-Jacobsmarkt 13.
B 2000 Antwerpen

CERTAMEN QUIRINALE

Academia Latinitati Fovendae ad primum Certamen Quirinale omnes antiquitatis litterarumque studiosos invitat, ut optima symbola inter a. 2018 et a. 2023 Latine publici iuris in commentariis periodicis facta praemio honestetur.

Ab universis scriptorum auctoribus rogatur, ut symbolam (iam typis traditam) non ex alio sermone versam nec quinque paginis breviorem iudicibus ante Kalendas Februarias a. 2024 mittant ad inscriptionem cursualem electronicam, quae est certamen.quirinale@gmail.com. Symbolae tantum accipientur, quae e plagula .pdf constant. Unam symbolam existimandam omnis candidatus tradat.

Collegium sodalium Academiae attente considerabit ac iudicabit commentationes doctas (e.g. philologas, litterarias, philosophicas, theologicas, archaeologicas, historicas, glottologicas vel musicologicas), aestimata et stili Latinitate et argumenti gravitate. Symbola enim enixe exquiritur non solum Latino sermone emendato scripta, sed etiam de rebus quae maioris sint momenti ad progressum disciplinae cuiusvis provehendum. Qua de causa scriptionibus tantum in commentariis periodicis editis in certamen venire licet et textus omnes reicientur sive qui his normis non responderint, sive qui ad argumenta privata vel pensa scholastica pertinere videbuntur sive qui ante Kalendas Ianuarias a. 2024 nondum publici iuris facti sint. Cum praemium proponatur curante et auspice Academia Latinitati Fovendae, cuius socii munere iudicis fungentur, nullus sodalis Academiae praemium accipere poterit.

Praemium victoris erunt Euronummi 500 una cum diplomate. Omnes candidati de exitu certaminis fient certiores mense Maio anni 2024 et victor in conventu ALF eiusdem anni praemio honestabitur.

Commentarii periodici, qui symbolas Latino sermone scriptas accipiunt, sunt e.g. Aevum, Arctos, Aristeas, Eos: commentarii Societatis Philologae Polonorum, Epistula Leonina, Eranos, Exemplaria Classica, Giornale Italiano di Filologia, Gnomon, Hermes, Hyperboreus, Latinitas, Latomus, Melissa, Museum Helveticum, Peitho: examina antiqua, Philologia Classica, Renascens, Rheinisches Museum für Philologie, Rhetorica, Symbolae Philologorum Posnanensium, Tyche, Vox Latina.

MARCUS CRISTINI LECTORIBUS EPISTULAE LEONINAE S.P.D.

De conspectu poetarum Latinorum nostri saeculi componendo

Marcus Cristini lectoribus *Epistulae Leoninae* s.p.d.

Certiores vos facere velim, domini dominaeque maxime honorabiles, de incepto quod ante annum adgressus sum quodque mensibus proximis futuris ad finem ducere velim. Statui enim carmina Latina recentissima (ab anno 2000 usque ad diem hodiernum edita) colligere et conspectum poetarum Latinorum saeculi vicesimi primi componere, ut conspectum illum de poetis Latinis saeculi vicesimi a Iosepho IJsewijn olim conscriptum et dein a Theoderico Sacré auctum - quantum possum - ad diem hodiernum perducerem. Hoc modo lectores futuri Latinae poesis cupidi titulos carminum et ubi typis traditi sint statim cognoscent.

Iam laudavi poematia omnia, quae leguntur in commentariis periodicis Latinis hodiernis (et adhuc exstantibus et vita functis) maioris momenti, qui sunt *Epistula Leonina*, *Latinitas*, *Melissa*, *Renascens*, *Rumor Varius*, *Vates* et *Vox Latina*. Nonnullos quoque libros poetarum Latinorum recentiorum legi diligenterque recensui. Timeo autem ne carmina haud pauca in actis diurnis, commentariis periodicis vernaculis, ephemeridibus universitatum studiorum vel miscellaneis ad doctum quendam celebrandum (vulgo *Festschriften*) edita me effugerint. Qua de causa vos oro, candidi lectores, ut mihi scribatis (sermone Latino, Germanico, Anglico, Italico, Francogallico vel Hispanico), si quis vestrum versus Latinos quavis ratione panctos ab anno 2000 usque ad diem hodiernum publici iuris fecerit. Inscriptio mea electronica est marco.cristini92@gmail.com, cursualis vero Marco Cristini, via XXV Aprile 6, 25121 Brescia, Italia.

Ceterum vos auxilio arcessere velim, si mihi indulgetis, in opusculis nonnullis inveniendis.

- **Pro Lingua Latina Zeitschrift:** fasciculos omnes ab a. 2000 usque ad a. 2023 legere velim, sed ii nusquam in Italia inveniuntur. Iam interrogavi commentariorum moderatores, qui mihi proh dolor subsidio venire recusaverunt.
- Laura D'Arpe: **Iris (Ametrica carmina II)**, Copertino. Lupo Editore 2014.
- Commentarii periodici Dacoromani q.t. **Timpul** (Iași), qui carmina continent a Livio Franga Dacoromano scripta (fasciculos, qui mihi opus sunt, libenter indicabo).

Habetisne, quaeso, apud vos hos libellos? Cognoscitisne aliquem, qui haec habeat? Potestne fieri, ut mihi photographemata paginarum selectarum (.jpeg, etiam sophophono facta), imagines ope scannerii exscriptas (.pdf), exempla phototypica vel exemplaria ipsa (praesertim quod ad *Pro Lingua Latina Zeitschrift* attinet) mittatis? Si mavultis libellos mihi cursu publico mittere, ipse carmina exscribam et dein nulla interposita mora exemplaria vobis remittam. Sumptus cursuales vel/et impensas ad libellos ope lucis exscribendos libenter solvam et in conspectu gratias agam iis omnibus, qui mihi subsidio fuerint.

Curate, ut optime valeatis.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permitas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et caraē. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; caraē sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumerās, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. manda- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PREIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	0010 4A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA–Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-	TESTAMENTUM	Henricus			CD-	7 pp.	€ 17,50

		938905-09-8	REYNERI BERLBYN	van den Lande de Raelt	-----	2004	ROM pdf		
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmat t	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPTIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90


	6A	25-8	– Libri audibiles						
27	0050 6A	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	----- ----- --	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- ----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	0020 7A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	----- ----- --	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIAE II	Jacob/Wil- helm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

HANC EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM OCTOGESIMAM SEXTAM



**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE
PERFECIT**

Die Dominicâ, 21. m.Ian. a.MMXXIV



**Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**